BREVIS METHODUS,

ET PRAXIS

Formandi Processus pro Regularibus, qui non tenentur ad solemnitates, & apices juris.

AUTHORE

ADMODUM R. P. D.

ROMUALDO MARIA BERGOMENSI

Eremita Camaldulensi S. Romualdi Congregationis M. C.

ROMÆ, 1728. Typis Antonii de Rubeis è Foro Rotundæ, in via ad Seminarium Romanum.

Superiorum Permissu.

nui, & augeri queant. Et certè in graviſſimis delictis Carcer ipſe nonne ſufficere videtur? qui utique ad finem uſque vitæ jejuniis, aliiſque afflictionibus additis prorogari poteſt. Nulla profectò major pœna in Sacris Canonibus pro quovis delicto ipſo carcere, vel in monaſterio detruſio imponitur alicui delinquenti; & carceris perpetui pœna, pœnæ mortis ſatis eſſe ſimilis videtur. De damnatione ad Triremes videant Judices Regularium, an expediat.

Forma Sententiæ Condemnatoriæ.

§. XXVIII.

CHriſti nomine invocato Nos P. N. viſis, ac diligenter conſideratis omnibus, & ſingulis in cauſa, & cauſis coram nobis, de, & ſuper crimine tali à F. N. commiſſo, de quibus in inquiſitionis Proceſſu, ad hoc à nobis fabricato, habitoque ſuper his conſilio, Deum præ oculis habentes, ut de illius vultu noſtrum judicium prodeat, & oculi noſtri videant æquitatem. Per hanc noſtram deffinitivam ſententiam.

Chriſti nomine repetito dicimus, ſententiamus, declaramus, pronunciamus, & deffinimus dictum F.N. fuiſſe repertum

culpabilem, ac de jure punibilem, & propterea in pœnam gravissimæ culpæ à nostris Constitutionibus inflictam incurrisse. Quapropter dictum F.N. condemnandum fore, & esse ad Carceres, prout illum sententiamus, & condemnamus ad illos per decennium, incipiendum ab hodierna die; ita ut in eo clausus manere debeat, nec inde per id tempus unquam exire valeat (infirmitate gravissima dumtaxat excepta), ex qua cum convaluerit, ad eosdem redire debeat in eis permansurus, donec decennium dictum impleatur, ibique ter in hebdomada, quarta videlicet, ac sexta feria, & Sabbato in pane solum, & aqua jejunet, iisdemque diebus septem Psalmos Pœnitentiales cum Litaniis recitare debeat, ac teneatur. Reservantes Nobis, & pro tempore Successoribus ex certa scientia, & expresse quatenus dictam pœnam mitigare, relaxare, aut mutare liberè valeant si, & quando ipsis visum fuerit expedire, & id non solum hoc, sed, & omni meliori modo &c.

Lata, lecta, & publicata fuit hæc sententia in Conventu N. præsentibus P. N., & P.N. Testibus ad hoc vocatis Die Mensis Anno in Cella solitæ residentiæ præfati P. N.

Ita pronunciavi Ego P. N.

NOS D. BONIFACIUS
MARIA AB ALTAVILLA

Congregationis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ Major.

CUm notum sit Nobis Reverendissimum Patrem D. Augustinum Romanum de Floribus Nostri Ordinis Camaldulensis Abbatem, & in Urbe Congregationis suæ Procuratorem Generalem vidisse, & approbasse Opusculum à Patre D. Romualdo Maria Congregationis Nostræ Eremiticæ Sancti Romualdi Montis Coronæ compositum, & inscriptum: *Brevis Methodus formandi Processum &c.* Nos præfatum Reverendissimum Revisorem, & Approbatorem loco omnium habentes, absque ulla alia revisione, & approbatione facta, vel facienda, prout deberet fieri, a Nobis, & Nostris, prædicto Patri D. Romualdo Mariæ facultatem impertimur imprimendi in Urbe dictum Opusculum, si aliis cæteris ad quos pertinet, benè visum fuerit, ut imprimatur. Datum in Nostra Sac. Eremo Montis Coronæ die 1. Julii 1728.

D. Bonifacius Maria ab Altavilla in Regno Neapolitano totius Congregationis Eremitarum Camaldulensium Montis Coronæ Major.

Imprimatur,

Si videbitur Rmo Patri Mag. Sacri Pal. Apostolici.

N. Baccarius Ep. Bojan. Vicesg.

APPROBATIO

REVERENDISSIMI PATRIS

D. AUGUSTINI ROMANI

DE FLORIBUS

Abbatis Ordinis Camaldulensis, & Procuratoris Generalis suæ Congregationis, Consultoris Sac. Congr. Indicis &c.

Legi Opusculum inscriptum: *Brevis Methodus formandi Processum* &c. ab admodum Reverendo P. D. Romualdo Maria Bergomensi Eremita S. Romualdi Congr. Montis Coronæ Camaldulensis elucubratum. Scio nonnullos alios Religiosos in hujusmodi argumento laudabiliter se exercuisse; nihilominus si typis detur prędicta Methodus ob brevitatem, & facilitatem, qua qui futuri sunt Judices Regulares hujus Methodi directione paucis instruuntur, quomodò se habere debeant in formandis, si ita occurrerit, Processibus; nam, ex meliorum, & majoris notæ Auctorum doctrinis est desumpta. Quamobrem, sicut laudabiliter præfatus admodum R. P. D. Romualdus Maria, in aliis materiis scripsit, tum vernaculè, tum latinè, ita

lau-

TYPOGRAPHUS LECTORI.

AUCTOR hujus Opuſculi, quod tibi humaniſſime Lector publicum facio, jamdudùm ſine ſuo nomine typis edidit Modum viſitandi pro Regularibus. Id ipſum facere cogitaverat in hujus Brevis Methodi editione, non enim laudari vult, ſed juvare; verùm hoc ei non licuit, alitèr diſponente Illo, cujus juſſu Typographorum opera reguntur. Quare modeſtiſſimus Au-

ctor obedientiæ merito contentus, humilitate poſtpoſitâ, nomen ſuum appoſuit, non ut innoteſceret, ſed ut pareret. Hoc unum prænoſcere volebam, jam lege, & vale.

NOS

INDEX

Materiarum hujus Libelli, in quo traditur modus conficiendi Processum.

laude ſua minimè carituram brevem hanc methodum ſpero, cum publici Juris fuerit facta. Dixi in aliis materiis; Præfatus quippe Auctor ejuſmodi ingenii eſt, quod in ſuo Monaſtico-anacoretico receſſu, non ita ſibi ſoli vacat contemplando, ut aliorum prorſus oblitus, quod publicæ utilitatis eſt, & ædificationis, non meditetur, & meditatus publicum, faciat. Ita ego cenſeo &c. Romæ. In Monaſterio Sancti Romualdi Prid. Kal. Julias anno 1728.

D. Auguſtinus Romanus de Floribus Camaldulenſis Abbas, & Procurator Generalis.

Cum

CUm de mandato Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici recognoverim Librum, cui titulus: *Brevis Methodus, & Praxis formandi proceſſum pro Regularibus*; & nihil invenerim, quod Catholicæ Fidei, aut bonis moribus adverſetur, Typis edendum exiſtimo. Hac die 3. Junii 1728.

Silverius Advocatus de Sanctis pro Curiis Eccleſiaſticis Promothor Fiſcalis Generalis à SS. D. N. Papa deputatus.

Imprimatur.

Fr. Jo. Benedictus Zuanelli Ord. Præd. Sacri Apoſtolici Palatii Magiſter.

Forma alia sine causæ expressione.

§. XXIX.

CHristi nomine invocato Nos P. N. visis, ac diligenter discussis omnibus, & singulis in causa, & causis coram nobis actitatis inter F.N. denunciantem, & F.N. denunciatum, de, & super his, de quibus in Processu propterea à nobis fabricato; pro Tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes, ut de illis vultu nostrum judicium prodeat, oculique nostri videant æquitatem, per hanc nostram deffinitivam sententiam, quam in scriptis ferimus,

Christi nomine repetito. Dicimus, sententiamus, declaramus, pronunciamus, atque deffinimus dictum F.N., & culpabilem, & de jure punibilem repertum fuisse, in pœnam gravioris culpæ incidisse. Ideòque illum ad dictam pœnam condemnandum, ut in constitutione, fore, & esse, prout illum condemnamus, ac sententiamus ad eam peragendam per mensem, ab hodierna die incipiendum, non solùm hoc, sed, & omni meliori modo &c.

Lata, lecta &c., ut suprà.

Et hic finis eorum, quæ pertinent ad substantiam Judicii pro Regularibus, qui non tenentur ad solemnitates, & apices

ju-

juris, sed in religiosa simplicitate, sinceritate, & veritate tenentur tantùm inquirere veritatem facti, ne domus religiosorum convertatur in Tribunal sæculare.

Advertendum tamen etiam pro Regularibus, quod & si omnia delicta præcaveri debet, ne committantur, & quantum possibile est impediri; non semper verò de omnibus delictis expedit formare Processum, nisi fuerint publica, & notoria, ob publicam satisfactionem; quodve viri prudentis consilio relinquitur; multoties enim per alias vias, sine jactura famæ alicujus, sine pacis turbatione, sine scandalo ob malum exemplum, utilius, ac fructuosius caventur, & impediuntur crimina, quam si Processus formaretur.

Cum subditus recurrit, & instat apud Superiorem, sive in actu visitationis, sive extrà, circà aliquod delictum commissum, Superior, quicunque ille sit, dicat recurrenti per quàm viam vult procedere; per Evangelicam, an per Judicialem? Si per Evangelicam, quia hæc fit tanquam Patri, explicato sincerè quid sibi occurrit dicendum, exoneravit super Superiorem conscientiam suam, & nihil amplius se ingerere debet; & ipse Superior post adhibitam diligentiam pro habenda veritate, faciet quidquid judicaverit expedire. Si per

viam

BRE-

BREVIS METHODUS, ET PRAXIS

Formandi Proceſſum pro Regularibus, qui non tenentur ad ſolennitates, & apices juris.

Advertentiæ pro Judice.

§. I.

UTinam ii omnes, qui aſſumpſerunt, vel aſſumunt ſtatum religioſum perſeverarent, ut dicit Apoſtolus, in ea vocatione, in qua vocati ſunt, qnod utique non eſſet neceſſe formare Proceſſus; ſed quia poſt acceptam gratiam vocationis, aliqui obliti proprię obligationis, quæ eſt ſemper tendere ad perfectionem, parvi faciunt ſacras obſervantias Regulæ, & Conſtitutionum, hinc eſt, quod ſenſim ſe diſponunt ad prę-cipitium, ſicuti ſcriptum eſt, qui ſpernit modica, paulatim decidet; Nec mirum ſi in tanta multitudine in quavis Religione

accidant casus graves, & gravissimi, cum etiam in Apostolico Collegio hoc accidit; ad quos expiandos ad exemplum aliorum oportet procedere, juxtà qualitatem delicti ad severam punitionem. Sed hoc fieri nequit sine juridica pręcedente informatione; ideo multi Doctores Regulares super hanc materiam scripsere, & ex ipsorum doctrina extracta est hæc brevis methodus formandi Processum, nihil ommisso de his, quæ ad substantiam Judicii pertinent, ad hoc ut unusquisque, cum accidit casus, illam præmanibus habeat ne aberret ab ordine judiciali, saltem in substantialibus, & eo maximè, quia inter Regulares rari inveniuntur, qui studiosè huic materiæ studeant, & legant Doctores: ob quam causam poterit unusquisque hunc brevem libellum attentè legere, & seipsum instruere, perquirendo etiam in difficultatibus, si necessitas postulaverit, Doctores, qui fusissimè hanc materiam pertractant.

Quamvis Regulares non teneantur observare solemnitates, & apices juris, juxta concessionem factam à Bonifacio VIII. essentialia tamen, ac substantialia, quæ sunt de jure divino, naturali, & gentium, nullo modo absque peccato omitti possunt. Hæc verò sunt in genere quatuor. Primum, ut contrà aliquem non procedatur,

nisi

nisi accusatum, denunciatum, aut infamatum, juxtà tres modos procedendi à jure statutos, per accusationem, denunciationem, & inquisitionem. Secundum est, ut Testes examinentur cum juramento, precipuè quando agitur de gravi delicto, & gravi pœna infligenda. Tertium, ut absens vocetur. Quartum, ut indefensus non condemnetur, nisi fuerit contumax.

Antequam Judex Regularis incipiat Processum, maturè, & diligenter considerare debet, quæ sequuntur, ne inutilitèr, & frustratoriè incipiat, quod prosequi non potest.

Primò, quod delictum sit valde grave, non enim expedit de omnibus delictis formare Processum; ex hoc enim multa inconvenientia exoriuntur, & turbatur pax Religiosorum: sed aliis modis suavioribus providendum erit, capta prius extrajudiciali informatione à Patribus prudentioribus, & veracibus.

Secundò considerari debet, an delictum probari possit, quod ex informationibus extrajudicialibus conjecturari poterit. Est enim incontrovertibile apud omnes, quod ad condemnandum aliquem, probationes debent esse luce meridiana clariores. Quod si ex informationibus extrajudicialibus concipiatur aliqua suspitio,

& probari non possit, provideatur aliis viis, & modis.

Tertiò de delictis occultis non expedit formare Processum, ne in publicum producatur malum exemplum, & fama Proximi lædatur.

Quartò, quando delictum est publicum per famam, distinguendum est, aut est publicum per famam tantùm, quia unus ex alio audivit, & interdum non invenitur à quo hæc fama exivit, aut non erit fide dignus; & in eo casu non debet formari Processus, cum delictum probari non possit, ut dictum est: aut est publicum per famam, & duo saltem Testes probi, ac fide digni testificare possunt de causa scientiæ, & in eo casu poterit formari Processus, eo modo, quo suo loco dicetur.

Quintò cum Judex procedit per viam accusationis, aut denunciationis non recipiat instantiam in genere, sed intimet accusanti, aut denuncianti, ut descendat ad particulare tùm facti, tùm circumstantiarum, quæ includuntur sequenti versu.

Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis, Cur, Quomodò, Quandò.

Et si omnes locum habere non possint, scribantur saltem illæ circumstantiæ, quæ possunt verificari, ad hoc, ut Judex cogni-

gnitionem accipiat, ad finem inquirendi, & investigandi veritatem. Hæc est enim petra, suprà quam fundari debet Processus.

Sextò admissa instantia Judex formare debet articulos pro examine Testium, fundatos suprà ipsammet instantiam ad finem probandi, quod in ea est expressum. Et advertat, ne interroget super aliis, quæ in instantia non nominantur, immò nec examinandos super hujusmodi audiat, nisi coadjuvare possint ad cognitionem veritatis facti, aliàs Processus confundetur, sed potius intimet, ut respondeant ad interrogata, & nihil amplius. Verum si videbitur Judici inquirere etiam super aliis delictis productis forsan in Judicio, & non expressis in instantia, ad evitandam confusionem, novam, & distinctam telam judiciariam poterit texere.

Septimò advertere debet Judex differentiam, quæ intercedit inter accusationem, & denunciationem; Etenim accusator debet se obligare ad pœnam talionis, si non probat delictum esse commissum, denunciator autem non item, sed facta denunciatione, nihil amplius se ingerit, nisi vocatus; propterea cum denunciator instat apud Judicem, ut procedat ad punitionem denunciati, non est audien-

 dus,

dus, nisi assumat officium accusatoris; obligando se ad pœnam talionis, nisi probaverit; Est enim malitia non parva, & contrà ordinem judicialem incipere judicium per unam viam, nempe denunciationis, ad effugiendam pœnam talionis, & posteà velle prosequi judicium per aliam viam, nempe accusationis. Quare diligenter animadvertendum, ne hæ duæ vię à Jure, & Doctoribus communiter approbatæ, & admissæ confundantur. Quod dicendum est etiam cum Judex procedit per inquisitionem, quæ est tertia via formandi Processum, sine alicujus instantia, sed ex ipsomet officio Judicis; dantur enim aliqui Testes, qui vocati ad dicendam veritatem, volunt se immiscere in judicio, & assumere officium accusatoris, instandò apud Judicem; ut procedat ad punitionem inquisiti; quibus à Judice imponendum est silentium, & ut tantum ad interrogata respondeant, aliàs Processus non erit ordinatus, immò confusus, cum Testis utrumque officium non possit facere, nempe, & Testis, & Accusatoris.

His prænotatis primò tradam modos in unaqueque via Processum incipiendi. Deinde eundem prosequendi. Postremò illum terminandi.

Pro clariori autem intelligentia ani-

madvertendum, delicta quædam esse interiora, quæ soli Deo, & ipsi committenti sunt nota, absque eo quod in aliquem actum exteriorem procedant, & de ipsis Judex in foro exteriori cognoscere nequit, licet gravissima sint. Ecclesia enim non judicat de internis. Quædam verò exteriora, quæ verbo, vel nutu, vel facto consummantur, sive actu aliquo exteriori, ab aliis cognoscibili, sensuque perceptibili fiunt, Judici examinanda, & judicanda in foro exteriori proponuntur. Item delicta quædam sunt facti permanentis, quæ vestigium aliquod post illa commissa sensibile relinquunt, ut homicidium, incendium, percussio si livor, aut cicatrix remanet, furtum cum fractura, & similia. Quædam sunt facti transeuntis, quorum nullum post ipsa perpetrata sensibile manet vestigium, ut hæresis, blasphemia, injuriæ, minæ, percussio sine cicatrice, aut livore, furtum sine fractura, & similia. Itaque sola Regularium exteriora delicta graviora, sive gravissima, tàm facti permanentis, quàm facti transeuntis ab ipsorum Judice remanent exteriori examinanda judicio, deque illis tantummodò Processum formare tenetur. Sed quia inter Regulares raro fiunt Processus, ideò non tam facilè invenitur via ritè, & rectè

 for-

formandi illum. Quare ad majorem securitatem ultrà supradicta addo, quod cum Judex procedit per viam accusationis, aut denunciationis, antequam incipiat Processum, dicat accusatori, aut denunciatori, ut in scriptis redigat quidquid habet cognitionis circà crimen denunciatum, & si nescit scribere, suppleat actuarius; & nihil interest, quod fiat modo non ordinato, cum hæc sit tantum informatio extrajudicialis, & via quædam ad habendam cognitionem facti, & probationum, si quæ sufficiunt ad probandum crimen, seù delictum.

Habita hujusmodi cognitione, Judex diligenter perpendat, an expediat, nec ne formare Processum, & si cognoscit quod probari non potest, non debet incipere, ut suprà diximus, immò dicat accusatori, aut denunciatori, ut desistat, assignando ei congruas, evidentes, & efficaces rationes; si verò cognoscit quod probabiliter probari possit, tunc ipsemet Judex (quia multoties denunciator est ignarus jurium) reducat instantiam ad formam juris, & similitudinem sequentium formularum, mutatis mutandis, adjectis adjiciendis, mutilatis mutilandis, cum hac tamen advertentia, ut specificè, & clarè in ipsamet instantia exprimat probationes,

in-

indicia, & Teſtes, quos habet ad probandum delictum eſſe commiſſum, compendiosè tamen, & paucis verbis, quia in examine faciendo dilatabuntur, ſupra quam inſtantiam Judex ſe regulare poterit in formandis articulis, ſeù interrogationibus faciendis, & ponendis immediatè poſt decretum faciendum à Judice, ut dicetur, cum tradam modum continuandi Proceſſum.

Quod dictum eſt de duobus prædictis viis judicialibus, idem proportionaliter dicendum eſt etiam de tertia via formandi Proceſſum, nempe Inquiſitionis, excepto quod in delictis facti permanentis, Judex primò debet capere informationem de corpore delicti, deinde proſequi, ut tradetur in ſequentibus ſuo loco, ſi poſſit inveniri auctor, & reus, quod ſi non poteſt, Judicio Dei relinquendum erit.

De modo incipiendi Proceſſum per viam Accuſationis.

§. II.

MOdum Proceſſus per viam accuſationis incipiendi traditurus, animadvertò hujuſmodi Proceſſum incipere Judicem minimè poſſe, niſi accuſator legitimus adſit, qui accuſatione, vel in ſcriptis,

vel verbotenus porrigat. Quilibet accusare tenetur, quandò crimen ejusmodi est, quod in Reipublicæ detrimentum redundet, (hoc publicum delictum nominatur), sufficienterque probari queat - Ut autem de privato delicto agitur, quod est, cum in privatarum tantum personarum vergit detrimentum; vel etiam cum tractatur de publico delicto, si desint probationes, nullus accusare tenetur, ne onus pœnæ talionis, nisi probaverit, sibi assumat; Et quidem quò ad privatum delictum, cum accusator nequaquam ex charitate, verùm ex invidia, aliave passione moveri ad accusandum præsumatur (quare accusatio *illaudabilis* intentio noncupatur) nullus profectò privata delicta, vel publica, si non possit probare, accusare tenebitur, ne invidus illaudabilis, aut culpabilis videatur, sed consultius erit, si per viam denunciationis procedat, ut infrà dicetur.

Advertendum secundò, quod Judex Regularium, cum accusator proponere accusationem voluerit, accusatoris, & accusantis Personas (quod optimè inter Regulares personas, cum ipsi mutuò seipsos cognoscant, fieri potest), considerare debet, cujus sint conversationis, & fidei, is qui accusat, & is, qui accusatur, quoniam

niam hi, qui non ſunt rectæ converſationis, ac fidei, & quorum vita eſt accuſabilis, non permittuntur ita facilè accuſare, nec viles perſonæ in eorum recipiuntur accuſatione. Accuſationem quoque ipſe Judex conſiderare debet, facilè namque eſt quemlibet infamare, at famam reſtituere non item. Judex itaque ſi legitimum eſſe accuſatorem, nullaque paſſione motum (in Prelatorum præſertim, ac bonæ famæ ſubditorum accuſatione) cognoverit, ab eo porrectam accuſationem admittere poteſt. Si delictum facti permanentis deponat, ante omnia conſtare debet de delicto commiſſo, ſi verò facti tranſeuntis delictum propoſuerit, accuſator Teſtes ad illud probandum adducere, ac nominare debebit, & ſi plura delicta objiciat, pro unoquoque illorum probando, Teſtes aſſignare, ſive nominare tenetur. Judex antequam in actis actuarius deſcribat accuſationem, vel poſtea, talionis pœnam accuſatori præſtare debet, niſi delictum probaverit, ab eo incurrendam, quo annuente, Proceſſum incipere, & proſequi poterit. In cujus principio Dei nomen apponendum eſt, Annus, Dies Menſis, accuſatoris deinde nomen, patria, ætas, gradus, ſtatus, profeſſio. Judicis nomen, dignitas, vel officium.

As-

Asseſorum quoque nomina , & ſcribæ, ac loci, in quo exercetur judicium , delicti ſpecies , locus , tempus , in quo delictum fuit commiſſum . Et ſi Judex ſit Delegatus , delegationis facienda eſt mentio, auctoritatiſque , litteræ ſeù patentes in actis deſcribendæ ſunt . Juramentum accuſatori deferendum eſt , quod animo non calumniandi accuſationem porrigat . At verò accuſatio , aut in cedula deſcripta porrigitur, & tunc ſcribendum eſt in actis: *Cedulam porrexit accuſatoriam* , ejuſque cedulæ verba in principio, & in fine poſita deſcribenda ſunt in Proceſſu . Aut verbotenus proponitur , & tunc ſcribendum eſt in actis : *Accuſatoriam querelam propoſuit contra F. N.* , *inſtans infraſcriptos pro habenda veritate interrogari* ; Quorum Teſtium nomina , patriam , ac ſtatum ipſe ſcriba deſcribat : Poterit ergò Proceſſus quò ad illius initium ſpectat , ita formari .

Forma incipiendi Proceſſum per viam Accuſationis à Judice Ordinario .

§. III.

CUm hęc brevis methodus ſit communis omnibus Regularibus , ommitto po-

nere officium, & dignitatem Judicis, quam unusquisque juxtà stylum, & consuetudinem suæ Religionis suis locis poterit explicare; In Dei Nomine. Amen. Anno à Nativitate Domini die Mensis

Coram nobis &c. comparuit F. N., & porrexit quandam Cedulam accusatoriam folii unius contra F. N., cujus initium est: Coram vobis &c. finis verò, & omni meliori modo ab eodem subscripta. Et institit procedi contrà dictum F.N. Testes examinando prout in Cedula, ut veritas habeatur.

Quo audito præfatus P. N. protestatus est illum ad pœnam Talionis peragendam teneri, nisi adducta delicta F. N. perpetrasse legitimè probaverit. Quare bene videat, quod faciat. Cui protestationi, & admonitioni, cum dictus F. N. respondisset, se ad omnia paratum, denuo instans in causa procedi, præfatus P. N. detulit eidem juramentum, quod non animo calumniandi, talia deposuerit, prout tacto pectore, vel scripturis juravit; quo juramento habito, querelam acceptavit, si, & in quantum, omni meliori modo &c.

Acta sunt ista in Cella nostræ residentiæ Conventus N. Anno, die, & mense suprapositis, & à me F. N. Actuario descripta. Qui Processus continuabitur, ut infrà.

For-

Forma incipiendi Processum per viam Accusationis à Judice Delegato.

§. IV.

DIximus suprà, quod quandò Judex est Delegatus, Litteræ, seù patentes Delegationis in actis describendæ sunt; poterunt ergo hujusmodi litteræ fieri sequenti, vel simili modo.

Nos P. N. &c. Patribus N., & N. salutem in Domino.

CUm ad aures nostras, non sine animi dolore, fama referente, clamosaque insinuatione subsequente, non semel, at sæpius, nec à malevolis, & maledicis, verum à probis, & honestis personis, pervenerit, quod F. N. admodum licentiosè vivat, contrà jus, fasque multa facinora perpetraverit, præcipuè talia, & talia delicta, cum non parvo aliorum scandalo. Nos quibus gregis Domini cura demandata est, considerantes, quod non sine injuria Creatoris, gravi damno Religionis, hujusmodi tolerari, ac conniventibus oculis præteriri non poterunt, cum justis de causis impediti personaliter super ea, ac

contrà dictum F. N. inquirere non valemus, confisi de prudentia, scientia, ac integritate Paternitatum Vestrarum, tenore præsentium vobis committimus, precipimus, ac mandamus, ut his nostris acceptis, statim vos conferre debeatis ad Conventum N., ubi degit dictus F. N., ac contrà eum Processum specialis inquisitionis formare, dantes super hoc vobis amplam facultatem, Testes prævio juramento examinandi, Reum constituendi, aliaque faciendi, & exequendi, quæ ad complementum hujusmodi Processus usque ad sententiam exclusivè, necessaria erunt. Quem clausum, ac sigillatum nobis trasmittere curabitis. In quorum fidem præsentes à nobis subscriptas, nostroque sigillo munitas trasmisimus.

Datum ex Conventu N. die Mensis Anno

P. N.

P. N. scriba.

In Dei Nomine Amen Anno à Nativitate Domini die mensis coram nobis PP. N., & N. Judicibus delegatis, virtute patentium litterarum, sub datum ex Conventu &c., ut in illis manu ipsius P. N. subscriptis, ac solito sigillo munitis, quarum tenor est. *Nos P. N.* (& hic litteræ de-

describendæ sunt), personaliter comparuit F. N., & querelam porrexit accusatoriam contra F. N., his verbis.

Molto RR. PP. io accuso F. N., che ha commesso li tali, e tali delitti, nel tal luogo, nel tal tempo, presenti li tali, e tali, però dimando giustizia, e faccio instanza, che detto F. N. sia castigato; e per venire in cognizione della verità, che siano esaminati li tali, e tali per testimonii.

Quo audito præfati Judices Delegati eidem F. N. protestati sunt, quod talionis pœna &c., ut in præcedenti formula, & mandarunt accusatori, ut se subscribat, & si scribere nesciat, signum Crucis faciat: Qui Processus continuabitur, ut infra.

De modo incipiendi Processum per viam Denunciationis.
§. V.

DEnunciationis via Processum formaturus Regularium Judex, primò animadvertere debet, quod Denunciatio est alicujus criminis apud Judicem competentem facta ad alicujus emendationem delatio. Quadruplex autem Denunciatio est. Evangelica, Judicialis, Canonica, & Regularis. Evangelica denunciatio est criminis apud Judicem, ut Patrem delatio, ad

ad emendationem in Fratre procurandam, quam in fraterna correctione obtinere minimè potuit, zelo charitatis facta, ut præcipitur Matth.14. Judicialis verò denunciatio duplex eſt, publica, & privata, Publica eſt criminis apud Judicem facta delatio, ut Rei puniantur, & quies Reipublicæ conſervetur, & hæc ad Curiæ officiales pertinet, Fiſcalem, & alios, quibus à Judice, ſive à Republica, ſive à Principe hujuſmodi crimina deferendi committitur. Privata eſt criminis apud Judicem facta delatio pro ſui met intereſſe, ut ſe, ſuaque aliquis tueatur. Canonica denunciatio eſt criminum apud Judicem facta delatio ad ea tollenda, damnumque Reipublicæ reprimendum. Regularis autem eſt criminum delatio, quæ in Religionibus fit juxtà illorum inſtituta ſine ſtrepitu, & figura Judicii, ad ipſorum Regularium emendationem, & ad commune Religionis cujuſque bonum conſervandum.

Differunt hæ denunciationes inter ſe. Evangelica namque zelo charitatis, ſine ſtrepitu, & figura Judicii, ſolam Fratris reſpicit emendationem: Judicialis publica Reorum punitionem. Judicialis privata proprium denunciantis intereſſe. Canonica publicum Eccleſiæ bonum. De

Regulari, & Evangelica denunciationibus, cum in illis formare Processum non sit necesse, tractationem omittam. De Judiciali solum atque Canonica breviter sermonem habebo, quas tamen unico tractatu comprehendam, ambæ namque istæ juridicæ sunt, eodemque modò in utrisque procedendum est paucis mutatis.

Contrà quemquam via denunciationis nequit procedere Judex, intuitu litterarum sinè nomine ipsi directarum, etiamsi in illis Testes nominati sint.

Denunciare quis minimè valet, nisi prius denunciandum ipsum de illo delicto, de quo illum vult denunciare monuerit, & noluerit resipiscere. Quare Judex denunciantem tenetur interrogare, an denunciandum charitativè monuerit, & an solus, an alio, vel aliis adhibitis, id prȩstiterit, ac deinde Testes, tàm pro monitione, quàm pro delicto probando (nisi iidem fuerint) interrogandos, ab eodem nominare, seù producere faciet.

Quod autem de admonitione dictum est, intelligi debet, si de privatis agatur delictis, etenim si de publicis, & exceptis tractatur, necessaria nequaquam ipsa monitio est. Sed neque cum de privatis delictis agitur, necessaria tunc monitio est, cum nulla per monitionem hujusmodi speratur

in

in Fratre correctio. D. Thomas 2.2. quæst. 33. artic. 7., aut quando grave timetur damnum probabile sibi, vel aliis per hujusmodi monitionem eventurum. Aut etiam, quando tempus monitionis non adest, quia periculum est in mora. Neque etiam ab iis monitio facienda requiritur, qui ex officio crimina in publica judiciali denunciatione Judicii denunciare tenentur. Regularis itaque Judex, si denunciantem bonæ famæ, bonoque zelo motum fuisse, non autem animo calumniandi cognoverit, denunciationem admittere utique poterit, ac debebit.

Forma incipiendi Processum per viam Denunciationis.

§. VI.

IN Dei Nomine Amen, Anno à Nativitate Domini, die mensis

Coram P. N. &c. personalitèr comparuit F. N., ac denunciavit eidem P. N., ut sequitur.

Molto Reverendo P. N. trovandomi nel tal loco, in tal tempo, & in tal giorno viddi F. N. a commettere il tal mancamento, e trovatolo doppo a solo a solo, con piacevolezza lo ripresi di tal fatto, mà egli non ne fece caso. Un'altra volta similmente nel tal giorno, nella

tal'ora viddi, che commetteva l'istesso trascorso, e lo viddero anche li tali, e tali: e benche di nuovo sia stato ammonito caritativamente, con tutto ciò non si vuole emendare, per il che io denuncio questo fatto a V.P. Molto Reverenda, acciò nel miglior modo, che la può, a così fatto disordine vi provegga.

Quo audito præfatus P. N. detulit eidem F. N. juramentum, quod prædictum F. N. charitativè (ut asseruit se fecisse) monuerit, & ille non resipuerit, & quod non animo calumniandi, sed bono zelo ductus ille detulerit, proùt ipse F. N. tacto pectore, vel scripturis juravit, & prefatus P. N. hujusmodi denunciationem admisit, si, & in quantum, omni meliori modo, & mandavit dicto F. N., ut eidem subscriberet, proùt fecit Acta sunt ista in Conventu N., in Cella solitæ residentiæ præfati P. N. Anno die ac mense suprapositis, & à me F. N. actuario descripta.

Advertendum hic, quod quando fit recursus ad Judicem propter aliquod gravamen acceptum, Judex debet intimare recurrenti, ut in instantia explicet in particulari, & non in genere qualitatem gravaminis, & à quibus, & quando acceperit, cùm omnibus aliis circumstantiis quæ haberi possunt, nominando Testes, qui testi-

ſtificari poterunt, eodem modo, ac fit in accuſatione, & denunciatione, ad hoc ut Judex prius poſſit inquirere veritatem facti, poſteà miniſtrare juſtitiam. Hic Proceſſus continuabitur, ut infrà.

De modo formandi Proceſſum per viam Inquiſitionis.
§. VII.

INquiſitionis Proceſſum formaturus Regularium Judex advertere debet, Inquiſitionem nil aliud eſſe, quàm criminum à Judice competenti canonicè factam inveſtigationem. Quæ inveſtigatio duplicitèr fieri poteſt, in generali videlicèt, ac in particulari; hinc generalis, atque ſpecialis vocatur inquiſitio. Generalis inquiſitio item duplex eſt, quædam generalis ſimpliciter, videlicèt quòad Perſonas, & quòad delicta, quædam verò generalis ſecundum quid, quæ duplex, & ipſa eſt, quędam generalis quòad delicta tantùm, non autem quòad perſonas, quædam generalis quoad Perſonas tantùm, non autem quòad delicta. Et quemadmodum Inquiſitio generalis ſimplicitèr, tantummodò præparatoria eſt, inquiſitio verò ſpecialis quòad Perſonas, & quòad delicta, tantummo-

modò solemnis, ità Inquisitiones secundùm quid inter prædictas mediæ partim præparatoriæ, partim solemnes, utique dici possunt, præparatoriȩ quatenùs generales existunt; solemnes quatenùs speciales. Inquisitio generalis simplicitèr, sivè præparatoria noncupatur illa, quæ in visitationibus Provinciarum Diæcesum, ac Monasteriorum fit, nulla præcedente infamia, sivè personarum, sivè delictorum, ad investiganda crimina, sivè criminosos, si qui sint, ut Provincia, Diæcesis, aut Monasteria, & à criminibus, & à criminosis purgentur, ut omnes in officio contineantur. Inquisitio generalis quòad Personas tantùm illa nominatur, quæ fit, cum in aliquo loco fuit commissum delictum, & ignoratur quis illud perpetraverit; in eo namque generaliter inquiritur de Persona, quæ ignoratur; at verò in particulari, de ipso delicto perpetrato, quis illud commiserit. Inquisitio generalis quòad delicta solum dicitur illa, quæ fit, quando suadente infamia, quod in aliquo loco multa contrà fas à certis Personis committuntur, contrà dictas Personas particulares inquiritur, de illarum vita conversationeque. Inquisitio verò specialis, & solemnis est, cum de certo delicto, infamia præcedente contrà certam Perso-

nam,

nam, vel Perſonas inquiritur. E. g. infamatus eſt Titius illud commiſiſſe, inquiritur an verè illud perpetraverit.

De Inquiſitione Generali, ſeu Viſitatione in qua quis repertus fuit infamatus de aliquo delicto.

§. VIII.

ANno à Nativitate Domini die menſis

Quia in Viſitatione hujus Conventus N. repertus fuit F. N. infamatus de tali delicto. Nos P. N. decrevimus ſuper hujuſmodi crimine contrà dictum F. N. ſpecialitèr inquirere, Teſtes adhibito juramento examinando, Reum coſtituendo, cęteraque opportunè peragendo, proùt de Jure

Acta ſunt iſta in præfato Conventu, in Cella noſtræ reſidentiæ, die, & menſe ſuperpoſitis, & à me F. N. Actuario deſcripta Qui Proceſſus continuabitur, ut infrà, cum agetur de modo continuandi Proceſsum per viam Inquiſitionis ſpecialis.

De Inquisitione Generali quòad Personas tantummodò.

§. IX.

ADvertendum, quod si delictum sit facti permanentis, Processum incipere nequit Judex, nisi priùs de tali delicto perpetrato constiterit. Cum enim commissum delictum hujusmodi Processus fundamentum sit, de ipsius delicti corpore constare ante ipsius Processus initium utique debet. Ideò Regularium Judex, cum ad illius aures pervenerit delictum aliquod ejusmodi perpetratum fuisse, ad locum delicti se conferre debet, factumque ipsum videre, ac adamussim descibere omnia signa, & vestigia, quæ reperiri poterunt patrati delicti. Ex quibus deindè Articulos formare debebit ad examinandos Testes pro veritate investiganda, quinam illud delictum commiserit. Si verò delictum sit facti transeuntis (hoc est, quod nullum signum, vel vestigium post se relinquit), necessaria alicujus denunciatio est, ut Processus incipiatur, qua denunciatione accepta, quid facere Judex pro continuatione Processus, infrà dicetur.

Forma incipiendi Processum per viam Inquisitionis Generalis quòad Personas tantùm in delicto facti permanentis.

§. X.

IN Dei Nomine Amen. Anno à Nativitate Domini die mensis Cùm ad aures P. N. Prioris hujus Conventus pervenerit commissum fuisse tale delictum, convocatis ejusdem Conventus senioribus, & discretis P. N., & P. N., & me P. N. discreto simul, & Actuario accessimus ad locum, ubi delictum patratum est, & inventa sunt talia, & talia signa, & vestigia patrati delicti; super quibus ad inveniendum Auctorem, & investigandam veritatem quisnam tale delictum commiserit, formati sunt infrascripti articuli pro Testium examine (& hic scribantur Articuli) Acta sunt ista in tali loco ejusdem Conventus Anno, die, ac mense suprapositis, & per me P. N. Actuarium descripta. Qui Processus continuabitur, ut infrà.

For-

Formam incipiendi Processum in Inquisitione Generali quòad Personas tantum, si delictum sit facti transeuntis, ex dictis, atque dicendis componere quisquam poterit.

De Inquisitione Generali quòad delicta solum.
§. XI.

IN Generali Inquisitione quòad delicta, speciali autem quòad Personas, advertere debet Judex Regularis, quod contrà dictas Personas Processum incipere nequit, nisi veré præcedat infamia, & clamosa insinuatio, quæ talem infamiam ad ipsius aures detulerit, non semel, at sæpius. Inquisitionis etenim contrà certas Personas, fundamentum infamia est, clamosaque hujusmodi insinuatio, quæ loco Accusatoris succedit. Quæ tamen infamia non à malevolis, & maledicis, verùm à probis, & honestis Personis ante ipsam Inquisitionem ortum ducere debet. Regularium itaque Judex, cùm ad ipsum fama, clamosaque insinuatio à providis, & honestis Personis, non semel, sed sæpius detulit, quod in tali Conventu, talia, vel talia delicta committantur, solemnem Inquisitionem formare poterit, ut rei veritarita-

ritatem cognoſcat, & provideri ſcandalo poſſit. Proceſſum autem hoc modo incipiet.

Forma incipiendi Proceſſum per viam Inquiſitionis Generalis quòad delicta ſolum.

§. XII.

IN Dei Nomine Amen. Anno à Nativitate Domini die menſis Cum ad aures P. N., fama deferente, clamoſaque inſinuatione ſubſequente, non ſemel, at ſæpius, nec à malevolis, & maledicis, verùm à probis, & honeſtis Perſonis pervenerit, quod in Conventu N. gravia delicta committantur, acceſſit cum ſuo ſocio ad ipſum Conventum, ut videat an res ſe habeat, hujuſmodique ſcandalo provideat, quatenus opus ſit. Itaque præfatus P. N. cum ſuo collega decrevit contrà Fratres infamatos de hujuſmodi delictis inquirere de illorum vita, & converſatione, omni meliori modò &c.

Acta ſunt iſta in prædicto Conventu Anno, die, ac menſe ſupradictis, & à me ſupradicto ſocio, & ſcriba deſcripta. Qui Proceſſus continuabitur, ut infrà.

De Inquisitione speciali, seù solemni.

§. XIII.

IN Inquisitione speciali sivè solemni,quę est cùm de peculiari, vel particularibus delictis contrà certam Personam, vel certas Personas inquiritur, Processum formaturus Regularium Judex, illud non ignoret necesse est, hujusmodi Processum incipere ipsum minimè posse, nisi præcesserit infamia, sivè mala fama in eodem genere delicti, quæ ad ipsiusmet Judicis aures, clamosaque insinuatione prosequta, infamiam perduxerit, eo modo quo superius dictum est, cum de Inquisitione Generali quòad delicta solum, verba habita sunt; vel inditia sufficientia. Et prætereà quod infamia, seù fama contrà certam Personam, vel certas Personas orta, probanda est, ortaque esse debet antequam mota fuerit lis. Probari autem hæc fama, seù infamia debet saltem per Testes juratos, & legitimos super illa deponentes, quod publicè illud dicatur, vel quod audierint publicè dici, ac præsertim à talibus, eos nominando (qui nominati, & ipsi examinandi, sive interrogandi erunt) à quo tempore orta fuerit hæc fama, &

qua

qua de causa; Qui Testes quid fama sit (est autem id quod communiter, vel publicè dicitur) noscere debent, adeò quod interrogati quid fama sit, si dixerint se nescire nihil probabunt. Insuper fama hæc mala, sive infamia, ut firmum Inquisitionis hujusmodi fundamentum existat, ante ipsam Inquisitionem ortum habere debet, alioquin Processus velut sub nihilo fundatus, erit ipso jure nullus. Fama probata, Judex Testes super facto interrogare debet, posteà Reum ipsum citare, seù vocare, ac super delicto, vel delictis de quo, vel de quibus fuit infamatus illum interrogare, & si negaverit, alii quoque Testes examinandi erunt ad fortiora contrà ipsum indicia perquirenda, & invenienda. Famæ namque ipsius indicium per se licet ad formandam Inquisitionem sufficiat, minimè tamen ad condemnationem sufficiens est.

Poterit autem Processus hoc modo formari.

Forma incipiendi Proceſſum per viam Inquiſitionis ſpecialis, ſive ſolemnis.

§. XIV.

IN Dei Nomine Amen. Anno à Nativitate Domini die menſis

Cum ad aures P. N. fama deferente, clamoſaque inſinuatione proſequente, non ſemel, at ſæpius, nec à malevolis, aut maledicis, verùm à probis, & honeſtis Perſonis pervenerit, quod F. N. commiſerit tale delictum, cum non parvo audientium ſcandalo, habito conſilio cum diſcretis ſuper infamia hujuſmodi, ad hoc ſcandalum tollendum, decrevit contrà dictum F. N. ſuper ea inquirere, contraque ipſum juxtà juris diſpoſitionem, & conſtitutionum noſtrarum præſcriptum procedere omni meliori modo.

Acta ſunt hæc in Conventu N. die, menſe, & Anno ſupraſcriptis, & à me P. N. diſcreto, & actuario deſcripta. Qui Proceſsus continuabitur, ut infrà.

De

§. XV.

TEstes multiplices esse possunt. Quidam enim Testes singulares noncupantur, quidam vani, quidam discordes, quidam ambigui, confuseque deponentes, quidam de credulitate, quidam vacillantes, quidam falsi, quidam omni exceptione majores, quidam tandem contestes, & plenè probantes. De quibus omnibus universis primò videndum est, quid sint, quid in Judiciis operentur, deindè ut legitimè probent, quid cum illis agere necessarium sit, ceteraque de ipsis opus est pertractare, ut exactam Regularium Judex de hujusmodi habeat cognitionem.

Testes singulares illi noncupantur, qui super diversis factis deponunt, ita ut eorum quilibet singularis in suo dicto sit e. g. si unus deponat de uno delicto, alius de diverso alio delicto, vel unus commissum fuisse delictum de mane, alius post vesperas, vel unus de mense Martii, alter de mense Aprilis, licèt in delicti specie, vel in actus ipsius substantia, ac in delinquente concordent hujusmodi Testes singulares super diversa delicti specie, vel in aliis circumstantiis necessariis existentes, non probant. De diversis enim actibus hi

Te-

Testes, non de eodem loqui videntur, quare delictum non probant. Testes namque in Criminalibus ubi de maximo agitur præjudicio, de specie delicti, loco, tempore, aliisque circumstantiis necessariis convenire debent: Factum enim de quo tales in hisce non concordantes deponunt, diversum esse judicatur, vel saltem præsumitur. Benè verum est, quod Testes concordandi sunt, si possibile est, saltem in substantialibus, licet non in omnibus, etiam ad effectum, ut probent, si factum est iterabile, & viam aperiant ad inquirendum in utroque delicto, si factum non est iterabile.

Testis varius dicitur ille, qui vel contraria deposuit, sive in eodem examine, sive in diversis, vel primò per verbum credo, deindè assertivè testificatur, vel primò se nihil scire ait, posteà de facti veritate deponit, vel primò testimonium affert, deinde se ita deposuisse negat, vel unum quod extrà Judicium affirmat, postmodum contrarium, seu aliud in Judicio asserere non veretur. Itaque si Testis in eodem examine contraria deponat, nec talis contrarietatis causam justam, seù rationalem afferat, illi minimè credendum est; quod intelligendum est, si contrarium deposuerit circà factum principale, aut

aut circà qualitates ſubſtantiales, non autem circà extrinſeca. Si autem in diverſis judiciis contraria dixerit, cùm utrumque dictum ahdibito juramento depoſuerit, velut perjurus, & falſus puniri poteſt, illique non eſt adhibenda fides, ut communiter Doctores; ſi tamen in ſecundo examine primum dictum per ſeipſum revocaverit, dicto ſecundo ſtandum erit. At verò ſi in ſecundo examine ſe in primo erraſſe minimè dicat, ſi poſſunt illa dicta per Judicem concordari, concordanda ſunt. Quod ſi concordari nequeunt, & admonitus ipſe Teſtis de hujuſmodi contrarietate dicat ſe velle primùm dictum corrigere, & incontinenti corrigat, admittendus eſt. Verùm Teſtis hujuſce depoſitio ſufficit tantùm ad inquirendum, illius namque fides utique diminuta propterea eſt; Generalis namque concluſio in hac materia eſt, quod Teſtis vario minimè fides præſtatur.

Teſtes diſcordes illi dicuntur, qui diverſa, vel contraria deponunt, quæ inter ſe coaptari minimè queunt; hoc autem evenire dupliciter ſolet, aut in Teſtibus pro eadem parte examinatis, ſive ad Rei, ſivè ad Actoris favorem, aut in Teſtibus partium diverſarum; quando videlicèt Teſtes pro Actore examinati, à Teſtibus

pro Reo examinatis, diſſentiunt, quibus autem credendum ſit, Judex ipſe percipere debet, aut ex numero Teſtium, aut ex illorummet dignitate, aut ex cauſæ favore, aut ex negotii, dictorumve conditione, illiſque majorem fidem poterit præſtare, qui veriſimiliora, aptiorave aſſeruerint; atque etiam illorum contrarietates, quammaximè fieri poteſt, concordandæ ſunt. At verò ſi Teſtes pro Reo, à Teſtibus pro Actore productis, diſſenſerint, ſi pares numero, dignitateque fuerint, in Rei favorem judicandum eſt; quod ſi pro eorum aliquo plures numero, dignitateve fuerint, pro illo erit utique judicandum.

Teſtes confusè, obſcurèque, & ambiguè deponentes appellantur, qui per *mihi videtur*, per *forſan*, ſimilibuſque verbis deponunt, ex quibus, clara ſententia, apertaque veritas haberi minimè poteſt; hi profectò nihil probant, obſcurum enim, aut confuſum, aut ambiguum dictum, ad juris effectum pro non dicto habetur. Quare Judex iterum, atque iterùm interrogare poterit, illoſque ad clarè, diſtinctè, ſimpliciterque deponendum cogere.

Teſtis de credulitate dicitur ille, qui certi nihil affirmat, ſed tantummodò *Credo*, vel *non Credo* deponit. Iſte ſi cauſam ſuæ credulitatis afferat, quamvis proba-

bationem minimè faciat, attamen præſumptionem faciet, ac indicium ad inquirendum ſufficiens, maximè ſi de corpore delicti conſtiterit, verùm quis illud perpetraverit, ignoratur.

Teſtis vacillans dicitur ille, qui ita deponit, *vidi hic, immò ibi, immò ibi, fecit ſic, immò ſic*, vel ſimilia. Iſte ſi una vice tantummodò dicat *immò ibi*, vel *immò ſic*, quaſi prius dictum corrigens, non vacillat, ſed utique probat. At verò ſi replicaverit *immò ibi*, vel *immò ſic*, utique vacillat, nihilque probat.

Teſtis falſus appellatur, qui veritatem, quam fateri tenetur, aut negat, aut occultat; vel qui ſuper certo Articulo interrogatus, ait, ſe nihil ſcire, cùm attamen ſciat; vel qui juravit puram, & meram veritatem dicere, multa verò ſublicuit eſſentialia. Ad hoc autem, ut falſus Teſtis verè ſit, falſique pœnam incurrat, neceſſe eſt, ut interrogatus juridicè fuerit, ac de veritate dicenda præſtiterit juramentum, & veritatem, aut occultarit, aut negarit. Teſti qui in ſua depoſitione falſum dixiſsè convincitur, nulla, eſt adhibenda fides, etiam ſi in aliquo dixerit veritatem. Juramentum etenim, cùm indiviſibile ſit, illud, qui ſemel violaverit, aliàs quoque de illius iterata vio-

latione ſuſpectus habendus profectò eſt. Quod ſi circà extrinſeca, & factum principale, qnalitateſque ſubſtantiales minimè concernentia, falſum dixiſſe convictus fuerit, nequaquam dicitur falſus, neque vitiata illius redditur depoſitio; ſufficit enim Teſtes in facto principali concordare, licet in acceſſoriis varii, atque etiam contrarii ſint. Pœna falſi Teſtis ad offenſam, ſi videlicèt dolo malo contrà innocentem depoſuit, pœna Talionis eſt. Quod ſi ad alicujus defenſam depoſuit, extraordinaria pœna plectendus eſt. Tenetur quoque falſus Teſtis de damno, per illius falſitatem ſequto.

Teſtis omni exceptione major, qui, & idoneus, & integer apellatur, ille eſt, qui fide dignus, juratus, de facto ipſo de viſu deponit, ſivè de ſcientia, aut cauſa ſcientiæ, ac de auditu in iis, quæ ſolo auditu percipi queunt, ſivè de alio ſenſu corporeo, itaut concludat, de tempore quoque, ac loco, aliiſque circumſtantiis ſubſtantialibus, & cui nulla objectio, aut exceptio opponi poteſt, ut à teſtimonio repellatur, ſivè ut illius depoſitio inficiatur. Hujuſmodi Teſtis probationem facit ſemiplenam.

Teſtes demùm conteſtes, ac plenè probantes illi ſunt, qui omni exceptione majores

jores cùm sint, sivè idonei,de eodem facto, loco, tempore, personis, aliisque circumstantiis ad facti substantiam attinentibus, ac necessariis, per sensum externum, jurati, deponunt. Hi profectò plenè probantes sunt, & delictum plenè probant, & ad Reum convincendum, & condemnandum sufficiunt, ut communiter Doctores. Et licet in accessoriis, sivè in aliquibus ad facti substantiam minimè necessariis non convenirent, non propterea illorum, aut infringitur, aut debilitatur testimonium, quinimmò firmius, & credibilius efficitur; etenim si in minimis quoque concordarent, ex condicto eundem sermonem proferre viderentur, quare illos conspiratores esse præsumi posset.

Ut verò Testes in Judicio legitimè probent, necessarium est illos citare, seù quoquomodo vocare. Testis enim non citatus, aut vocatus, utique suspectus redditur, nec probat. Secundò illis deferendum est juramentum; jurare verò Testis debet rei veritatem, quam novit, sincerè deponere; Tertiò interrogandi sunt juris ordine servato, idest à Judice competente, præcedente accusatione, aut denunciatione, aut infamia, legitimè probata, aut indiciis sufficientibus, aliòqui Testes dicere veritatem nequaquam tenentur.

Sed illam celare quoquomodò (absque mendacio tamen), utique possunt. Quare Processus vitiari profectò posset. At verò Testes juris ordine servato à Judice competente interrogati, respondere tenentur. Interrogandi verò sunt ipsi Testes, de facto, personis, tempore, loco, contestibus, causa scientiæ, vel credulitatis, aliisque ad rem ipsam necessariis, aut spectantibus circumstantiis, & ut veritas eruatur, & ipsum eorum testimonium validum, ac firmum reddatur. Meminerit præsertim JudexTestes interrogare de causa scientię, sivè credentiæ, quomodò id sciant, vel quare credant e. g. Titium tale delictum perpetrasse; hæc namque Testis ipsius, sivè testimonii illius quasi anima est, sinè qua testificatio minimè valet. Ut autem ipsi Testes faciliùs veritatem deponant, admodum conveniens erit illos prius admonere, quàm sit grave scelus, & veritatem negare, & falsum jurare, & contrà innocentem odio, ira, aliave passione, aut causa deponere. Testes verò, qui recusant testificari, possunt cogi etiam per censuras, & alias corporales pœnas, ad testificandum.

De

De Indiciis.

§. XVI.

DE Indiciis, quæ signa sunt quædam præsumptionem per se ferentia, quod quis delictum aliquod perpetraverit, verba facturus, primò illa cum Doctoribus in levia, gravia, & gravissima distinguam, quorum omnium notitia Judici maximè necessaria est, præsertim cùm inquisitionis via procedit: Enimverò ad ipsum delinquentem investigandum opus est, ut generatim assumat indicia, speciatim verò, si certus est ipse delinquens. Levia indicia, sivè simplicia, quæ & suspiciones leves appellantur, illa dicuntur, quæ ex levibus conjecturis procedunt, ut fama sola, offensi assertio, & similia, quæ licet ad inquirendum contrà nominatum sufficientia sint, non attamen ad illum constituendum. Gravia indicia, sive urgentia, quæ, & suspiciones vehementes, & semiplenæ probationes noncupantur, illa dicuntur, quæ ex magnis, & solidis proveniunt conjecturis, ut confessio delicti extrà Judicium ab Inquisito facta, fuga ipsius post perpetratum delictum, ante inquisitionem formatam, & captas informationes, & ejusmodi, quæ nedùm ad inquirendum, sed etiam ad constituendum sufficiunt.

ficiunt. Gravissima indicia sunt, sivè indubitata, quæ, & violentæ suspiciones, & plusquàm semiplenę probationes nominari possunt, illa dicuntur, quæ ex maximis, & Judicis animum convincentibus conjecturis, nascuntur, ut si in aliquo furto sequuto, apud aliquem inventa sunt istrumenta, quibus ostium apertum est, sufficit ad eum condemnandum saltem pœna extraordinaria, nisi se legitimè justificaverit.

Circà indicia levia notandum est, quod sufficiunt ad inquirendum, & ad informationes contrà nominatum capiendas, atque etiam ad illius capturam, si de fuga dubitetur, non tamen ad illum constituendum sufficiunt. Ex levibus tamen conjecturis, ac indiciis, ad viri probi, & honesti capturam deveniri minimè debet. Verùm contrà illum secretò inquiri potest, & si plusquam levia indicia emerserint, tunc procedi potest ad capturam; quo modo Regularium Judex in delictis gravissimis procedere potest, ac debet; etenim inter Regulares captura, aut carcere ad custodiam, nisi in hujusmodi delictis gravissimis, uti minimè debet. Verùm aut silentium indicere, aut Monasterium, aut Cellam pro carcere, aut quid simile in gravioribus delictis, in virtute sanctæ obedien-

dien-

dientiæ, Inquiſito ipſe Judex aſſignare poterit, in omnibuſque procedere juxtà delicti gravitatem, perſonarum qualitatem, ac ſuimet prudentiam.

Circà indicia graviora notandum eſt, quod ſufficientia ſunt nedùm ad capturam nominati, verùm etiam ad ipſum conſtituendum, ſivè interrogandum, non autem ad illius condemnationem ſunt ſatis. Nemo enim ex præſumptionibus, ac indiciis vehementibus in criminalibus, pœna ſaltem ordinaria condemnari debet; præſumptio enim licet ad abſolvendùm ſufficiat, ad condemnandum tamen minimè ſatis eſt, ſed benè alia pœna Judicis arbitrio puniri poteſt; Qua pœna Regularis, contrà quem indicia hujuſmodi vehementia fuerint, poterit condemnari, maximè cùm inter Regulares in uſu tortura, qua hæc purgantur indicia, minimè ſit, quo caſu tamen cautè procedendum eſt, & indicia meridiana luce clariora ſint, neceſſarium eſt.

Circà indicia verò graviſſima, notandum eſt, quod licet ad condemnationem ſufficiant, cùm in illis juris præſumptio ſit, ex qua ad criminalem punitionem, & pœnam ordinariam criminis imponendam deveniri poteſt, aliqua tamen probatio pro excuſatione Rei admittenda eſt, &

quo-

quoque pœna extraordinaria Judicis arbitrio puniri Reus ipſe debet. Advertendum tamen prætereà eſt in hac indiciorum materia, regulam tribui certam minimè poſſe. Idem namque indicium reſpectu unius leve eſt, quod alterius reſpectu grave judicandum eſt, & è converſo habita conſideratione qualitatum perſonarum, & aliarum circumſtantiarum; quare Judicis prudentis arbitrio, quæ levia indicia ſint, quæve gravia, & quæ graviſſima, relinquitur judicandum; nonnulla tamen principaliora adducam indicia, ex quibus ipſe Judex cætera diſcernere poterit.

Primum itaque indicium, confeſſio extrajudicialis eſt, facta abſque vi, aut metu, talis enim confeſſio vehemens indicium eſt. Confeſſio quoque in uno judicio facta, licèt non valeat ad condemnandum, in alio attamen valet ad inquirendum, & probandum.

Secundum indicium eſt deliquendi conſuetudo, nam qui delinquere ſolitus eſt in aliquo criminis genere, aliàs quoque in eodem genere delinquere præſumi poteſt; ſolitus autem delinquere dicitur, qui eodem genere mali bis, vel ter deliquiſſe convictus eſt; Conſuetudo iſta delinquendi per ſe, leve indicium eſt; & ſi per triennium quis benè, & laudabiliter vixerit

con-

consuetudo ista illi nocere minimè debet.

Tertium indicium deprehensio in fragranti crimine est, ut si quis à Superiore cum Testibus repertus est in officina, vel in aliena Cella de nocte, ex qua aliquę res furto ablatę sunt. Hoc indicium est vehemens, & valdè grave; & super hujusmodi facto à Judice utique interrogari potest, quia præsumitur ab ipso commissum fuisse furtum, nam si quis repertus est in fragranti, dum delictum committit, jam hoc non diceretur indicium delicti, sed ipsummet delictum notorium.

Quartum indicium est dictum socii criminis, vel personæ offensæ; istorum namque quorumcunque dictum, si ipsi accusatores sint, aut denunciatores, Judici viam aperit ad inquirendum super tali delicto, ab ipsis proposito contrà accusatum, vel denunciatum.

Quintum indicium fama ipsa, sive infamia est. Dicitur autem fama rumor publicus, quod quis delictum aliquod perpetrarit. Fama sola regulariter leve indicium est ad inquirendum; quod si fama vehemens illa sit, nempe, quæ à Personis honestis, & fide dignis originem trahit, absque alio indicio constitui potest infamatus.

Sextum indicium fuga delinquentis est, si an-

si ante formatam inquisitionem, aut captas informationes post delictum commissum aliquis fugiat, est enim hujusmodi fuga, delicti ab eo commissi vehemens argumentum, & grave. Quod si citatus sponte comparuerit, ipsa fuga contrà eum nullum, vel leve facit indicium.

Septimum indicium inimicitia ipsa est, evidens tamen, & probata in specie, quod si levis existat, nullum facit indicium, si verò gravis, indicium plusquàm leve facit ad inquirendum, & ad capiendas contrà inimicum informationes, atque etiam ad illius capturam, & constitutum, nisi de offendente constet, vel offensus habeat plures inimicos, eo namque casu attenditur gravior, & recentior inimicitia, ac pluribus indiciis adminiculata.

Octavum indicium est res ablata apud aliquem inventa, quæ contrà malæ famæ personas indicium grave est, nisi à quo habuerint, ipsi dicant, & probent. Quod si apud aliquem bonæ famæ virum, vel etiam apud illum, qui hujusmodi res mobiles vendere publicè solet, reperta fuerit, & rem illam ablatam palam teneat, nulla contrà eum spicio erit.

Nonum indicium minæ delictum præcedentes existunt, quæ à viro quocunque prolatæ indicium faciunt ad inquirendum con-

contrà illum, qui minatus est, si delictum fuerit consequutum.

Decimum indicium est res alicujus inventa in loco, vel circà locum delicti; præsumitur enim illam ibi reliquisse, ut citius fugeret, nisi quomodò illa res ibi fuerit asportata, & docuerit, & probaverit.

Undecimum indicium est Testis de visu, vel de auditu, in his, quæ solo auditu percipi queunt, cujusmodi sunt blasphemiæ, minæ, injuriæ, & alia similia, vel etiam de aliis sensibus corporeis. Si Testis est omni exceptione major, & de visu deponat, vel de alio sensu corporeo, itaùt concludat, semiplenam probationem facit, nisi contrà illius depositionem esset aliqua conjectura.

Duodecimum indicium variatio est, vacillatio, mendacium, inconstantia, rubor, pallor, tremor, & hujusmodi. Variatio, vacillatio, ac mendacium, si eveniant circà delicti substantiam, in eo, qui non est obliviosus, aut stupidus, indicia gravia erunt. Quod si circà extrinsecas remotas delicti circumstantias eveniant, non facient indicium grave hujusmodi variationes; neque etiam si circà substantialia, si varians, vacillans, ac mendax incontinenti se correxerit, aut sit stupidus,

& obli-

& obliviosus. Potest quoque esse, quod aliquis variet, vacillet, & hujusmodi timore Judicis, infamiæ, ac magnitudinis periculi, quod prudens Judex debebit advertere, ipsumque constitutum de his amabiliter admonere.

Rubor autem, inconstantia, tremor, & similia indicia levia sunt, licèt aliqualem præsumptionem inducant, quod Judicis prudentis arbitrio relinquitur judicandum, qui Personarum, & Rei considerata qualitate, quid agendum sit perspiciet; aliqui enim etiam innocentissimi ad ipsorum Judicum præsentiam, ac Superiorum, ita obmutescunt, vel turbantur ob naturaliter illis insitam timiditatem, ut vel non respondeant, vel quid dicant nesciunt, licet aliàs, & sapientissimi, & prudentissimi sint.

Ex adductis indiciis poterit Regularium Judex quid in aliis quamplurimis sibi agendum sit, ac judicandum, considerare. Illud attamen advertendum necesse est, indicia nullius roboris penitus esse, nisi probata fuerint ad minus per duos Testes idoneos. Indicia verò, quæ probari debent, illa sunt, Confessio extrajudicialis, delinquendi consuetudo, fama, fuga, inimicitiæ, minæ, & hujusmodi, quæ indigent probatione, ut Judex legitimè illa

co-

cognoſcat. Petenda verò ſunt indicia à nominatis in inquiſitione generali, aut ſpeciali, à vicinis, familiaribuſque, ac veriſimiliter informatis, & hujuſmodi; ſi nullus particulariter fuerit nominatus, atque etiam ſi nominatus quis fuerit, per eoſdem probanda ſunt; Non debent verò probari per Teſtes ſingulares, niſi eſſent indicia proxima delicto, & ſubordinata.

De modo continuandi Proceſſum per viam Accuſationis.

§. XVII.

REgularium itaque Judex, cùm accuſationem, ſive in ſcriptis, ſive in voce porrectam acceptaverit, illamque cùm Teſtium ab Accuſatore productorum nominibus, in actis redigendam, ſive deſcribendam curaverit, ad ipſorum Teſtium examen procedere debet, quorum nomina, patriam, ætatem, Religionis tempus, per actuarium in actis deſcribere faciat. Quibus delato juramento de veritate ſuper interrogandis merè, ac ſincerè, & realiter dicenda, interrogabit primò an ſciant cauſam ſuæ vocationis. Deindè an cognoſcant accuſatum, illius nomen exprimendo, de tempore, cujus famæ ſit apud alios, cujus opinionis ſit apud ipſos.

An ſciant illum tale delictum commiſiſſe, quomodò ſciant, quo loco, quo tempore, quibus præſentibus commiſit, ſi viderint ipſi, vel audierint in iis, quæ ſolo auditu percipiuntur. Si verò ab aliis audierint, à quibus, quo loco, quo tempore, quibus præſentibus. Poſtremò an odio, vel amore, aliave paſſione, aut cauſa moti, talia depoſuerint. Finitoque examine, illos propria manu ſubſcribere faciat, aut ſcribere neſcientes, ſignum Crucis apponere, ac dimittet, illis precipiendo (ſi ei viſum fuerit expedire), ut ſub tali pœna, aut in virtute ſanctæ obedientiæ, aut ſub juramento, ea quæ depoſuerunt, & de quibus fuerunt interrogati, reticeant, nec aliquibus revelare præſumant.

Poterit verò Proceſſus ita continuari.

Poſt quæ præfatus P. N. conſiderans, quod hujuſmodi gravia delicta ſine Creatoris injuria pertranſiri abſque punitione, nec poſſunt, nec debent, & Accuſatori miniſtrare juſtitiam teneri, proceſſit ad Teſtes ab accuſatore productos examinandos, per modum qui ſequitur. *Et hic ponendi ſunt Articuli.*

Die-, & loco ſupradictis. Coram præfato

fato P. N. vocatus fuit F. N. ætatis ſuæ annorum, Religionis verò Teſtis productus ſuper primo articulo, qui monitus, ac juramento ei delato de veritate ſuper interrogandis dicenda, proùt tacto pectore more Sacerdotum, vel ſcripturis juravit. Et ad opportunas interrogationes depoſuit, ut infrà.

Interrogatus an ſciat cauſam ſuæ vocationis. Reſpondit.

Interrogatus an cognoſcat. F. N. Reſpondit.

Et ita proſequendæ ſunt interrogationes ſuperius poſitæ, uſque ad ultimam, quæ juxtà qualitatem delictorum variari poſſunt, utendo eo ſermone, quo ab interrogato proferuntur reſponſiones. Et in fine adjiciet, ut ſequitur.

Tunc ad R. P. N. mandavit dicto F.N., ut proprio ſe examini ſubſcriberet, proùt lectis eidem prius dictis depoſitionibus propria manu ſubſcripſit. Qua ſubſcriptione habita, & acceptatis illius depoſitionibus, ſi, & in quantum, eum dimiſit, illi præcipiens in virtute ſanctæ obedientiæ, ne cui de his omnibus loqueretur. Deindè examinentur alii Teſtes.

Die, & loco, ut ſupra F. N. Teſtis alter ab Accuſatore productus ſuper primo delicto, vocatus, & monitus, ac de-

lato ei juramento de veritate dicenda,prout tacto pectore, vel ſcripturis, juravit.

Interrogatus &c. ut ſuprà.

Eodem namque modò cæteri Teſtes examinandi ſunt. Quod ſi diverſis diebus examinentur, initio examinis Teſtis, dicendum eſt, die ejuſdem menſis, & anni F.N. ætatis ſuæ Annorum, Religionis verò, Teſtis productus ab Accuſatore, ut ſuprà dictum eſt in examine primi Teſtis.

Teſtes autem ſuper ſecundo delicto ab Accuſatore producti ſequenti forma examinari poſſunt.

Eodem die, ac loco F.N. Annorum , Religionis verò ,Teſtis productus ab Accuſatore ſuper ſecundo delicto, vocatus,& monitus, ut ſuprà, ac delato ei juramento de veritate dicenda, proùt tacto pectore, vel ſcripturis, juravit.

Interrogatus &c. ut ſuprà.

Eodem die ac loco F. N. alter ab Accuſatore ſuper ſecundo delicto productus, vocatus, & monitus &c., ut ſuprà.

Interrogatus &c.

Teſtibus ab Accuſatore productis, & quo dictum eſt modo, examinatis, illorum depoſitiones conſiderare Judex ipſe debet, ut quid faciendum ſibi ſit, cognoſcere queat, namque ſi eos, aut ſingulares, aut diſcordes, aut varios, aut vacil-

cillantes, aut aliàs nihil concludentes invenerit, Accusatum vocare, aut constituere minimè debet. *Sed accusatore vocato, illum admonere poterit, ut vel ab accusatione desistat, vel Testes alios producat.* Si Accusator destiterit, ac humiliter se gesserit, Judex cum illo agere mitius poterit, aut levem aliquam pœnitentiam salutarem, eidem injungendo, aut gravi admonitione illum impunè dimittendo pro sua prudentia, cum accusatus fatigatus non sit. At verò si Accusator in sua persistens malitia, Testes alios produxerit, qui examinati, nihil quoqué concludant, aut pœna Talionis, aut alia gravi extraordinaria illum plectere utique debebit, illius malitia id expostulante.

Quod si Testes contestes fuerint, aut eorum alter omni exceptione major ita deposuerit, ut factum ipsum concluserit; aut ex Testium dictis indicia aliqua gravia, & sufficientia, quemadmodum superius dictum est, adfuerint, quibus motus ipse Judex, Reum ipsum judicaverit de jure fore constituendum, illum citare, aut vocare quoquomodo potest, formatisque ex Testium depositione articulis, eum monitum de veritate super interrogandis dicenda, interroget.

Illud autem advertat Judex opus est,

quod Reum interrogare nequit, nisi de criminibus, sive delictis, de quibus accusatus est, aut denunciatus, aut de quibus infamia, indiciave præcesserint. Interrogandus autem Reus, sive accusatus à longè est, paulatimque ad factum deveniendum, ut veritas ipsa facilius eruatur. In actis verò scribenda sunt ipsius Rei, nomen, patria, ætas, tempus Religionis, ut suprà de Testibus dictum est, illiusque responsiones eodem sermone, ac modo, quibus ipse eas protulerit sunt scribendæ.

Forma examinis Rei, sive constituendi Reum.

§. XVIII.

Die mensis Anno F. N. ætatis suæ annorum, Religionis, accusatus, de quo suprà, vocatus, ac personaliter constitutus coram præfato admodum R. P. N., monitusque de veritate super interrogandis dicenda (eo quia juramentum post Concilium Romanum non potest deferri Reo) ad opportunas interrogationes Respondit, ut infrà.

Interrogatus, an sciat causam suæ vocationis, Respondit.

Interrogatus à quanto tempore degit in hoc Conventu, Respondit.

Et ita paulatim descendere debet Judex ad alias interrogationes, quæ delictis in Cedula accusatoria expressis proximantur. Quod si ex signis, & responsionibus Judex agnoscat Reum nolle veritatem dicere, eum admoneat, ut cum sinceritate veritatem fateatur, quia mitius cum illo agetur. Verùm si in incæpta duritie perstiterit, faciat ei legere Testium depositiones, quibus auditis, aut excipiet ipsos Testes, aut non excipiet; si non exceperit, jam convictus est; si duo adsint contestes juxtà dicta; si autem exceperit, si exceptiones rationabiles fuerint, dilationes congruentes, ac termini eidem tribuendi sunt, ad illas probandas; & si fortè tunc non exceperit, sed petat sibi dari Processus copiam, ut contrà Testes excipere possit, dicta copia illi tribuenda est, ac terminus assignandus ad excipiendum, ac se defendendum, nomina quoque Testium, Accusatorisque illi aperienda sunt. Interim antequam dimittatur post Rei depositionem, addantur sequentia verba.

Quibus habitis præfatus P. N. mandavit eidem F. N., ut proprio examini se subscriberet, prout sibi lectis dictis depositionibus subscripsit, & dimissus fuit. Post cujus subscriptionem addat, quod eidem

Reo petenti data eſt copia Proceſſus ad excipiendum, & ſe defendendum.

Poterit quoque Judex ad Reum negantem magis convincendum, (ſi expediens illi viſum fuerit) ipſos Teſtes cum eo confrontare, illos in illius faciem ſigillatim venire faciens, ut illo præſente deponant, ſive prius depoſita ratificent; ac ut ipſemet Judex ex facierum mutatione, dictis modis dicendi, aliiſque circumſtantiis (quas omnes accuratè debet obſervare,) an ibi aliqua conſpiratio ſit, cognoſcere queat; hic namque modus tutiſſimus eſt, quo ſagax, prudens, cautuſque Judex veritatem plenè cognoſcere, ac diudicare poteſt, omniaque in actis ponantur.

Cogere quoque poteſt Judex Reum ad veritatem aperiendam pœnis eum affligendo, nempe carcere, jejunio in pane, & aqua, ſequeſtratione in Cella, & ſimilibus, quòuſque veritatem deponat, vel fateatur; Quod Judicis prudentis arbitrio relinquitur: qui Regularium Judex advertat, quod cum delictum graviſſimum eſt, ac de fuga delinquentis dubitatur, illum in carcere ponere ad cuſtodiam poterit, ac debebit. Quando autem Reus in carcere ponitur, ſive pro cuſtodia, ſive pro afflictione, ut delictum, ac veritatem fateatur, in actis deſcribendum, ac declaran-

randum eſt; ne Reus infamiæ notam incurrat, quam carcer ad pœnam datus inurit.

Advertat etiam Judex, quod ſi Reus confeſſus delictum, aut de illo convictus fuerit; illum utique condemnare poteſt. Attamen defenſiones aliquę, illi etiam non petenti tribuendæ ſunt, quibus ſi non à toto, à tanto ſe tueri queat. Eſt enim Tiranni Judicis, ac valdè iniqui contrà indefenſum pronunciare ſententiam. Et ſi aliquas defenſiones attulerit, benignè illum audiat, aliaque exequatur, quæ agenda ſunt. Quod ſi nullas habere ſe defenſiones dixerit, ad ſententiam deffinitivam contrà illum pronunciandam poterit devenire. Si verò confeſſus minimè ſit, & defenſiones illi petenti datæ, audiat, examinet etiam iterum ipſos Teſtes, ſi fuerit opus, diligenter omnia perſcrutetur, neque plus Accuſatori, quam Reo, neque Reo, pluſquam Accuſatori deferat, licet in dubiis, & paribus, ad Rei favorem judicare debet.

Modus autem quo defendere ſe Reus poteſt eſt, aut excipiendo, quod non conſtat de delicto (ſi delictum ſit facti permanentis), de quo accuſatus, vel denunciatus, vel inquiſitus eſt, aut excipiendo contrà Accuſatorem, aut excipiendo con-

trà Testes, aut probando similibus paribus, vel pluribus Testibus contrarium, aut etiam errorem à se in propria confessione factum probando, si quem rationabili causa, aut ratione fultum poterit invenire. Confessio enim revocari potest, aut probando se id licitè facere potuisse, si res illa modo aliquo fieri licitè queat, aut probando se aliàs de illomet delicto non iterato, vel iterabili punitum fuisse; neque enim etiam Deus judicat bis in idipsum, aut aliàs excusationes afferendo, prout sibi melius videbitur expedire, nempe iram, ignorantiam, metum, aut, provocationem sui, vel amicorum, defensionem suarum rerum, vel sui honoris tuitionem, furorem, crudelitatem, quod operari tale quid potest, & similia. Et nota quod etiam post sententiam, & condemnationem defensiones minimè denegantur.

Verùm si defensiones à Reo adductæ sint nullius roboris, ac valoris, & delictum sit benè probatum, ad inducendum illum ad confessionem delicti poterit Judex pœnis illum affligere, ut suprà dictum est, per modum qui sequitur.

Die . ejusdem mensis, & anni, denuò vocatus F. N. de quo suprà accusatus, & vehementer indiciatus, coram præfato

P.N.

P.N. constitutus Interrogatus si velit, ac se disposuerit veritatem fateri super iis, de quibus aliàs interrogatus fuit, Respondit &c. monitus iterùm, atque iterùm, ut velit ab obstinatione desistere, & mendaciis, quia constat in actis hujusmodi delictum commisisse, Respondit &c.

Tunc præfatus P. N. dicti F. N. duritiem agnoscens, ac pertinaciam, decrevit ad habendam ex eo veritatem, ut maneat in Cella clausus, silentium cum omnibus observando, ac pane, & aqua jejunando ter in hebdomada, quòusque veritatem fateatur. Et eidem F. N. talia observare mandavit sub pœna confessi delicti, eumque dimisit, illi præcipiens, ut recto itinere ad propriam Cellam progrederetur, nulli omninò loquendo.

Modus continuandi Processum per viam Denunciationis est idem, ac per viam Accusationis, mutato nomine Accusationis, & Accusati, in nomen Denunciationis, & denunciati.

§. XIX.

De modo continuandi Processum per viam Inquisitionis Generalis quòad Personas tantùm, vel delicta tantùm.

§. XX.

IN Inquisitione generali quòad Personas, speciali verò quòad delicta, examinandi primo loco sunt Testes nominati ab offensis, vel si nullus nominatus sit, vicini, & verisimiliter informati, deinde alii, donec aliquis nominetur, sivè donec indicia sufficientia contrà aliquem, aut aliquos adsint. In hisce autem inquisitionibus examinari possunt quicunque Testes, qui licet ad condemnationem nequaquam sufficiant, ad inquirendum tamen indicium præstant. Interrogandi sunt verò Testes circà offensum, vel offensos, nominatum, vel nominatos, si qui fuerint offensi, vel nominati. Si verò nullus fuerit

rit offenſus, vel nominatus, interrogandi ſunt primò, an ſciant cauſam ſuæ vocationis, deinde ubi fuerint tali tempore, ac tali hora. An ſciant tale delictum fuiſſe commiſſum, quomodo id ſciant, quem credunt commiſiſſe, quare ita credunt, cujus famæ ſit ille, an ſolitus ſit alia perpetrare, an ab aliis audierit dicere de hujuſmodi, & aliis ſimilibus interrogationibus.

Si autem quis offenſus fuerit, puta graviter percuſſus, & penitus qui percuſſerit ignoratur, interrogandi ſunt ipſi Teſtes, ubi tali tempore fuerint, an ſtrepitum aliquem audierint, vel aliquem clamantem, aut quem, & qua hora, an ſciant tale delictum perpetratum fuiſſe, quomodò id ſciant, & alia ut ſuprà; prætereà an ſciant percuſſum habere aliquem inimicum, quomodò id ſciant, qui ſit, an ſciant aliquem minatum fuiſſe, qui ſit, quomodò id noverint, à quibus audierint, quo tempore, quo loco, quibus preſentibus, & alia hujuſmodi, quæ ipſius Judicis prudentiæ relinquuntur invenienda, ut delinquens patefiat; & ſic proſequatur.

Poſt quæ præfatus P. N. ad Cellam ſuæ ſolitæ reſidentiæ ſe recepit, habitoque conſilio ſuper commiſſo delicto, conſiderans, quod tale eſt, tamque grave, quod

ſine

ſine maxima Dei, ac proximi offenſione tolerari, ac pertranſiri nequit, proceſſit ad Teſtes examinandos pro delinquente inveſtingando, per modum qui ſequitur.

Eodem loco, & die coram præfato P. N. vocatus fuit F. N., qui monitus, ac delato ei juramento de veritate dicenda, proùt tacto pectore, vel ſcripturis, juravit. Ad opportunas interrogationes depoſuit, ut infrà Interrogatus &c., ut ſuprà dictum eſt de accuſatione.

Si autem delictum ſit facti tranſeuntis, e. g. ſi fuerint ablata aliqua mobilia pretioſa à ſacrario, vel clave facta, vel alio modo, nullo commiſſi criminis veſtigio relicto, & coram Superiore de hujuſmodi conqueratur Sacriſta, factumque denunciet; cum de delicto minimè conſtet, neque Teſtis ullus de facto adſit, aliter procedendum eſt. Accepta namque furti denunciatione, ipſe Superior, ſive Judex, juramento illi delato, quod ita ſit; ad inquirendum ſuper hujuſmodi procedere poterit. Et primò Teſtes examinare debet de fama, ac bona opinione denunciantis, ut in actis legitimè conſtet, an illi credendum ſit, ad hoc ut inquiſitio formari queat, aliòqui Proceſſus, velut ſub nihilo fundatus, eſſet ipſo jure nullus. Interrogabit igitur in talibus caſibus Judex Teſtes ali-

quos,

quos, monitione, ac juramento adhibitis: An ſciant cauſam ſuæ vocationis, deinde an talem agnoſcant, quomodo cognoſcant, cujus opinionis, & famæ ſit apud ipſum, & alios, an ſit homo verax, quare ita credant, & ſimilibus aliis interrogationibus, ut probetur bona fama denunciantis. Qua probata, ille iterum à Judice vocandus eſt, delatoque illi rurſus juramento, interrogandus eſt, an verè talia mobilia è Sacrario ablata ſint, quem credit abſtuliſſe, quare ita credat, aliaque indicia deponat opus eſt, ſi quæ habet, ac Teſtes nominet, qui factum, aut delinquentem noſſe poſſunt. Denique Teſtes vocandi, atque ſuper ipſo facto interrogandi de credulitate, cauſa credulitatis &c., & cum repertus fuerit aliquis indiciatus, contrà ipſum formare ſpecialem inquiſitionem poterit ipſe Judex, juxtà inferius dicenda in modo formandi, ſive continuandi Proceſſum per viam inquiſitionis ſpecialis. In cujus continuatione illud obſervandum eſt, quod Teſtes adhibendi ſunt, qui delinquentes illos magis norunt, aut ſunt familiares, aut qui cum eis converſantur, atque illi, qui de illorum vita, & moribus veriſimiliter informati eſſe queunt: Qui interrogandi erunt juramento adhibito ſuprà dictis, & aliis ſimi-

mi-

milibus interrogationibus, per quas ſagax Judex, & prudens veritatem ipſam inveſtigari poſſe crediderit.

Modus continuandi Proceſſum in Inquiſitione Generali quòad delicta ſolum, eſt idem, ac ſupradictus modus quòad Perſonas, mutatis mutandis.

§. XXI.

De modo continuandi Proceſſum per viam Inquiſitionis ſpecialis.

§. XXII.

IN hujuſmodi Proceſſus continuatione primò examinandi ſunt Teſtes ſuper fama, ut fundetur Proceſſus; quo modo autem probanda ſit, dicetur infrà; pro qua re, illud obſervandum eſt, quod duo Teſtes de fama, ſeù infamia præferuntur aliis contrarium dicentibus, ita Doctores, qui eam attendi volunt, quæ dignioribus Teſtibus comprobata eſt, & quæ ex veriſimilioribus cauſis, & conjecturis originem habuit.

Poterit autem hujusmodi Processus ita continuari.

Post quæ considerans præfatus P. N., quod non sine maxima Creatoris injuria, proximorumque scandalo, crimen hujusmodi tolerare, aut conniventibus oculis præteriri non potest, habito consilio cum discretis, & senioribus Conventus, decrevit super eo inquirere contrà dictum F.N., an apud viros probos, & bonos verè infamatus de tali crimine sit; Et ad se informandum, ac Testes examinandos processit, per modum qui sequitur.

Forma examinandi Testes super Fama.
§. XXIII.

DIe,atque loco supràpositis,coram præfato P. N., illiusque Actuario P. N. vocatus fuit F.N. ætatis suæ Annorum , Religionis verò , qui monitus, ac juramento ei delato de veritate dicenda super interrogandis, prout tacto pectore, vel scripturis, juravit. Ad infrascriptas interrogationes deposuit, ut infrà.

Interrogatus an sciat causam suæ vocationis, Respondit. An cognoscat F.N. Respondit. Quomodò illum cognoscat, Respondit. Cujus famę sit, Respondit. An fama sit,

ſit, quod commiſerit aliquod crimen, Reſpondit. Quid ſit fama, Reſpondit. Quomodò ſciat talem famam de illo eſſe, Reſpondit. A quibus audierit, Reſpondit. Quomodò ab illis audierit, Reſpondit.

Et ita proſequantur aliæ interrogationes proximiores ad patefaciendum delictum, & delinquentem, & in fine addat.

Quibus habitis præfatus P. N. mandavit F.N., ut proprio examini ſe ſubſcriberet, lectis eidem ab ipſo factis depoſitionibus, & ſe ſubſcripſit. Dictuſque P. N. acceptatis dictis depoſitionibus ſi, & in quantum, illum dimiſit, præcipiens illi in virtute ſanctæ obedientiæ, ne de his omnibus cum aliquo loqueretur.

Eodem die, & loco, coram prædicto P.N. vocatus fuit F. N., qui monitus &c., ut ſuprà in examine primi Teſtis. Et eodem modo omnes Teſtes de fama examinari debent, quòuſque probata ſit per duos, vel tres probos viros, & honeſtos.

Fama hoc modo probata, ad inquirendum ſuper facti veritate procedet ipſe Judex, Teſteſque ipſi infamato familiares, præſertim viros probos, Deumque timentes, vocet, ab eiſque non amplius de fa-

ma, verum de ipso facto inquiret, illos, delato eis juramento, Interrogando, an sciant causam suæ vocationis. An cognoscant, & à quo tempore F. N., & prosequantur aliæ interrogationes ut suprà, delicto proportionatæ,

Si dixerint se ab aliis audivisse; à quibus, quo loco, quo tempore, quibus præsentibus, & hujusmodi, per quæ facti veritas habeatur. Postremò an amore, an odio &c., ut suprà, quæ omnia in actis scribenda sunt.

Poterit autem hic Processus continuari, ut sequitur.

Postmodum præfatus P. N. scire volens, an clamor, qui ad ipsum venit, ac in actis constat, opere compleatur, & an famæ tam perversæ veritas ipsa respondeat, processit ad se informandum, & ad Testes super ipso facto examinandos, per modum qui sequitur.

Die verò mensis, & anni ejusdem coram præfato P.N. vocatus fuit F. N. ætatis suæ annorum   Religionis, qui monitus &c., ut suprà. Interrogabit autem eum Judex proximè dictis interrogatoriis. Factoque ipso saltem semiplenè probato, juxtà ea, quæ diximus, Reum ipsum con-

 stituet,

ſtituet, eo modo, quo ſuprà dictum eſt in Accuſatione, & reliqua ibi dicta obſervabit, uſque ad Rei condemnationem excluſivè.

De modo terminandi Proceſſum à Judice Regularium per quoſcunque modos.

§. XXIV.

PRoceſſus terminatio in nullo alio, quàm in deffinitiva ſententia ferenda conſiſtit: Duplex autem ſententia deffinitiva ferri poteſt, Abſolutoria, & Condemnatoria. Abſolutoria ſententia ferenda tunc à Judice eſt, cum nihil contrà accuſatum, vel denunciatum, vel inquiſitum, fuerit in Proceſſu probatum. Condemnatoria verò cum de crimine, de quo accuſatus eſt, vel denunciatus, vel inquiſitus, ipſe Reus convictus extiterit, aut illud fuerit confeſſus. Neque enim ferri ſententia condemnatoria poteſt, niſi contrà confeſſum, aut convictum. Circà verò ſententiam proferendam advertere Judex ipſe debet. Primò, quod illam præcipitanter ferre minimè convenit, ſed maturo conſilio totum conſiderare Proceſſum debet, ſi quæ oportet, peritos conſulere, ne quam vel minimam committat injuſtitiam, ſive

con-

contrà Reum, sive contrà Actorem, sive contrà ipsam Rempublicam. Secundò, quòd juris ordinem in illa ferenda servare debet, quæ de ipsius substantia est, indicia perpendendo, an levia, an gravia, an gravissima sint, & an purgata extiterint, nec ne, an aliquid purgandum sit, ac hujusmodi. Sententia namque lata contrà hujusmodi ordinem, nulla profectò est. Tertiò, quod sententia ferri debet super his, quæ in Processu continentur, atque in eo probata sunt, dicti Processus limites nequaquam excedendo; & hoc illud est, quod communitèr dicitur, Judex secundum allegata, & probata judicare debet. Quartò quod citandæ sunt partes ante sententiæ prolationem. Quintò, quod sententia in scriptis ferenda est. Sextò quod licet in sententia ipsa causa exprimi possit, qua motus Judex eam tulit, id attamen opus minimè est. Septimò, quod licet sententia sedendo ferenda sit, attamen in summario Judicio, id necesse non est. Octavò, quod licet in sententiis ferendis plures requirantur solemnitates, in Judicio tamen summario illæ observari necessariò minimè debent. Quare necesse non erit Judicem illam proferre secundùm solemnitates, & apices juris: unde poterit, vel presente, vel absente parte fer-

ri, & de nocte diebus feriatis; hę namque solemnitates non sunt de substantia Judicii, sed accidentalia, quæ in Regularium judiciis necessariò servanda non sunt, ut sæpius dictum est.

Absolutoria sententia, qua accusatus, vel denunciatus, vel inquisitus absolvitur, & innocens declaratur, à Judice ferenda tunc est, cum ex deductis in Processu, delictum contrà illos probatum non est. Regula namque Jurisperitorum est, quod Actore non probante, Reus est absolvendus. At verò absolutoriam hujusmodi sententiam ferre, cum voluerit ipse Judex, duo advertat, necesse est. *Primum quod Accusatorem aut Denunciatorem citare (etiam inter Regulares), seu vocare debet, ad producendum si quid contrà præsumptum Reum opponere velint, quia ad sententiam deffinitivam vult devenire.* Et si quidem opposuerint, audiendi sunt, sin minus, sententiam pronunciare poterit, ac debebit. Secundò advertat, quod absolvendus in duplici gradu esse potest; namque aut de plano propriam innocentiam probavit, licet contrà ipsum indicia essent vehementia, vel Testium falsitatem ostendendo, vel quid illud ei facere liceret probando, vel alio quovis modo, & tunc deffinitivè, ac simpliciter absolvendus est, quo casu

licet

licet contrà ipſum in tali cauſa nova ſuperveniant indicia, procedi amplius contrà eundem minimè poſſet. Aut, quia licet contrà ipſum indicia fuerint pluſquam levia, non attamen aliqua fuere vehementia; quare nulla pœna ei, nec extraordinaria imponi potuit; quo caſu ſi nova indicia supervenerint vehementiora, hujuſmodi ſententia non obſtante, contrà illum eadem de cauſa procedi poterit; quæ doctrina rationi, & juſtitiæ admodum conſonare videtur.

De Sententia abſolutoria.

§. XXV.

CHriſti nomine invocato Nos P. N. viſis, ac diligenter diſcuſſis omnibus, & ſingulis in cauſa, & cauſis coram nobis actitatis, inter F. N. Accuſatorem ex una parte, & F. N. accuſatum ex alia, de, & ſuper his, quæ in Proceſſu propterea fabricato continentur, de conſilio peritorum. Deum præ oculis habentes, ut de illius vultu noſtrum Judicium prodeat, oculique noſtri videant æquitatem, per hanc noſtram deffinitivam ſententiam.

Chriſti nomine repetito. Dicimus ſententiamus, declaramus, pronunciamus, & deffinimus dictum F. N. non fuiſſe re-

pertum culpabilem, nec de jure punibilem, ſed prorſus immunem à crimine, de quo fuit accuſatus; ideò velut de tali crimine innocentem abſolvimus, & liberamus, abſolutumque ac liberatum declaramus, non ſolùm hoc, ſed, & omni alio meliori modo *F. N. verò Accuſatorem prædictum, eodem Chriſti nomine repetito ſententiamus, declaramus, pronunciamus, & deffinimus calumniatorem, ac falſum delatorem eſſe, in pœnamque Talionis incurriſſe.* Quapropter illum ſententiamus, & condemnamus, ad Cellam pro carcere habendam per menſem, in qua bis in hebdomāda, die ſcilicet Mercurii, & Veneris, in pane ſolo, & aqua jejunet. Reſervantes nobis ex certâ ſciêntia, & expreſsè, quatenus dictam pœnam liberè valeamus mitigare, relaxare, ac mutare, ſi & quando nobis viſum fuerit expedire.

Lecta, & lata, & publicata fuit hæc ſententia in Conventu N. die menſis Anno , præſentibus P. N., & P. N. Teſtibus ad hoc vocatis in Cella ſolitæ reſidentiæ dicti admodùm R. P. N.

Ita pronunciavi Ego P.N.

Forma alia pro Indiciato.

§. XXVI.

CHristi nomine invocato &c., ut suprà usque ad *Christi nomine repetito*. Dicimus, sententiamus, declaramus, & pronunciamus dictum F. N. ex deductis in Processu non fuisse repertum de jure punibilem de crimine tali, de quo fuit inquisitus, quare illum à præsenti judicio, & instantia absolvimus, & liberamus; absolutumque, ac liberatum declaramus, non solum hoc, sed & omni meliori modo.

Lata, lecta, & publicata fuit &c., ut suprà dictum est.

De Sententia Condemnatoria.

§. XXVII.

COndemnatoria sententia tunc ab ipso Judice ferenda est, cùm Reus ex deductis in Processu convictus est, aut ipsemet, delictum confessus, ut supra dictum est. In ea verò ferenda ipse Judex observabit primò, quod Reus contrà quem ferenda est, citari debet, seù vocari, ut si quid habet, quod pro sui defensione dicat, possit adferre. Si habebit, quod producat, vel ad sui defensionem, vel ad sui excusationem, benignè audiatur, si nihil habeat,

vel opponat, feratur contrà illum ſententia. Obſervabit ſecundò Judex, quod pœna delicto conformis eſſe debet, juxtà illud Deut. 25.. *Pro menſura delicti, erit, & plagarum modus*. Quare pœnam augere Judex minimè poteſt, ſi alicui delicto à lege taxata ſit, niſi fortaſſis aliqua circumſtantia delicto annexa, id expoſcat; ſed neque minuere, niſi ex legitima cauſa, quam in ſententia exprimere debet, ſaltem illis verbis, *juſtis de cauſis animum noſtrum moventibus*. Obſervabit tertiò, quod ſi Reus pœnæ à lege ſtatutæ pro delicto ab illo perpetrato capax fortè non eſt, illum commutare in eam, cujus eſt capax utique poterit. Obſervabit quartò Regularium Judex, quod pœnæ Regularibus perſonis infligendæ, à cujuſvis Congregationis conſtitutionibus deſumendæ ſunt. In earum enim quibuſque, pœnæ leves, graves, graviores, atque graviſſimæ continentur, pro delictis utique levibus, gravibus, gravioribus, atque graviſſimis puniendis; Pœna etenim à ſtatuto impoſita juris communis pœnam tollit. Quarè non eſt cur, vel à jure communi, vel aliunde querantur, aut ex proprio cujuſque cerebro inveniantur; Pœnarum etenim extenſio nimia vitanda eſt; & eo magis, cum pœnæ ab inſtitutis regularibus taxatæ mi-

nui,

viam Judicialem, Superior intimet illi, ut instantia reducatur ad formam Juris, vel per denunciationem, vel per accusationem, eo modo quo suprà dictum est. Et si ex formato Processu probatum est, & evidenter constat Accusatum, renunciatum, vel Inquisitum esse Reum, aut Innocentem. Judex utatur supradictis, aut similibus formulis in proferenda sententia, sive condemnatoria, sive absolutoria. Si verò clarè, aut unum, aut alterum non constat, nec plenè probatum est, faciat Decretum, *non constare de delicto*. Verùm si indicia erunt vehementiora, quamvis plenè non poterit probari delictum, poterit Judex punire præsumptum Reum pœna extraordinaria, vel medicinali.

Quod dictum est de Processu formando, idem mutatis mutandis, servandum erit de quacunque informatione capienda, sive ad instantiam partis, sive ex ipsomet officio Judicis, seù Superioris; excepto quod in aliis informationibus, quæ diriguntur tantùm ad habendam veritatem alicujus facti, non semper est necessaria probatio famæ, licet semper sit necesse, ut factum per Testes juratos probetur, ad hoc, ut in foro exteriori fidem faciat.

In Inquisitione Generali, quæ fit in visita-

ſitatione domorum, ſeù Conventum Religionis; cum hæc principaliter fiat ad finem manutenendi, & conſervandi regularem obſervantiam, aliter procedendum erit.

Auditis itaque omnibus Fratribus, ſcriba, ſive Actuarius expoliabit viſitationem, notando defectus, qui fuerunt depoſiti in actu viſitationis ad modum, & formam diſtinctorum Articulorum, primo, ſecundo, tertio &c., & in margine cujuſcunque Articuli exprimat Teſtes nominatos à quærelante, & deponente, & ſi non nominavit, debet iterum vocari, & cogi ad nominandum, ſi defectus ſint noti tantum aliquibus Perſonis, qui poſteà vocandi, & examinandi erunt, & præcipuè de cauſa ſcientiæ. Si verò defectus toti communitati ſint manifeſti, tunc ſuper illo articulo, omnes, vel ſaltem major, & ſanior pars audiendi, & examinandi erunt, per modum, qui ſequitur.

Quia in Viſitatione habita in hoc Conventu fuerunt depoſiti aliqui defectus notabiles, qui indigent probatione, & examine, ad hoc ut veritas patefiat, ideò decrevimus illos examinare prout &c.

Articuli, ſuper quibus Teſtes examinandi ſunt.

Et hic ponantur Articuli, eo modo, quo dictum est.

Die vocatus fuit F.N. Testis citatus, ut suprà, cui delato juramento de veritate dicenda (si defectus est gravis, quia in levibus, vel levioribus defectibus non expedit dare juramentum) prout tacto pectore, vel scripturis juravit. Ad infrascriptas interrogationes deposuit, ut infrà.

Interrogatus ad (*& hic exprimendus est numerus articuli, est primus, secundus, tertius, quartus &c.* Respondit.

Et ita prosequendum est examine aliorum Testium citatorum; in cujus fine Visitator recognoscet, an defectus sint probati, nec ne, & secundùm suum prudens Judicium judicabit.

Si autem in habita Visitatione compertum sit aliquod delictum valde grave, & Visitator judicet expedire formare specialem Processum, & tunc poterit incipere, ut suprà dictum est de Inquisitione Generali pag. 23. nimirum primus, si est primus, secundus, tertius &c.

Quia aliquando ab aliquibus imprudentibus, loco manifestandi Superiori locali delicta occulta, tanquam Patri, revelant non sine jactura famę Proximi aliis,& paulatim per totum Conventum fama diffunditur. In hujusmodi casibus, ne Superior

videa-

videatur deficere in proprio officio, primo extrajudicialiter consideret Personam diffamatam, cujus conversationis, & religiositatis sit. Secundò à quo exiit hujusmodi fama. Tertiò an possit probari, & secundùm suum prudens judicium cognoscet, an debeat formari Processus. Quod si estimat formandum esse, incipiet Processum à probatione famæ, ut superius dictum est de Inquisitione.

Advertendum verò pro complemento hujus Methodi, posse contingere, quod Judex Regularis procedens ad cognoscendum de uno delicto, invenit emergere quodam aliud, quod nemo accusaverat, vel denunciaverat; neque Judex ipse inquisierat, sed Reus sponte confessus est, vel indiciavit. Hinc oriri potest dubium an Judex valeat de prædicto novo delicto emergente Processum formare.

Sed Judex in hoc casu vel est delegatus ad unam tantùm causam particularem, ideoque ad unum tantùm delictum, accusatum, vel denunciatum, aut indiciatum; vel est Judex habens authoritatem ad omnem causam. Si sit Judex delegatus ad unam tantum causam potest cognoscere de novis emergentibus cum limitatione, mox dicenda.

Sciendum est enim quod hujusmodi de

novo emergentia possunt esse duplicis generis alia silicet tangentia jurisdictionem Judicis, & alia dependentia ab eo delicto contrà quod proceditur, seù connexa cum ipso, quod quidem dupliciter potest evenire.

Primò, ut ita se habeant ad delictum contrà quod proceditur, ut sint veluti quædam qualitas, seù appendix ipsius, taliter quod delictum nequeat plenè cognosci sine ipsis.

Secundò ut ità se habeant, quod non sint connexa cum principali delicto, & per consequens ipsum valeat independenter ab eis cognosci.

Si ergo de novo emergentia sint primi generis, observandum est, an ea transferant cognitionem de Foro ad Forum, vel non transferant. Si non transferunt, debet Judex ad plenè probandum delictum, inquirere super omnia connexa cum illo, accessorium enim sequitur naturam principalis; cum ergo Judex delegatus habeat facultatem inquirendi super uno delicto quod est principale, censetur etiam eam habere super omnia connexa cum eo etiamsi sint accessoria. Ità si in fabrica Processus contrà accusatum, vel denunciatum de furto reperiatur, quod furtum fuit de re sacra, cum hæc qualitas (licèt mutet speciem delicti) non sit cognoscibilis separatim

ratim

ratim à furto, ſuper ea quoque poteſt inquiri. Si verò qualitas transferat cognitionem delicti de foro ad forum, Judex non poteſt amplius procedere. Ità ſi in inquiſitione ſuper fornicatione reperiatur, quod habita fuerit ex ſollicitatione in Confeſſione Sacramentali, vel abuſu Sacramentorum, aut Sacramentalium, tunc Judex tàm Ordinarius, quàm delegatus, & ſubdelegatus ad unam, vel univerſales cauſas, non poteſt ampliùs inquirere, ſed tenetur levare manum à proceſſu, & denunciare Inquiſitoribus: ad hæc advertant Judices, etiam Regulares, ne ex inadvertentia, & culpabili negligentia ſe immiſceant in Cauſis ſpectantibus ad Sanctum Officium, aliàs pœnis, ac cenſuris innodantur inflictis in Conſtitutionibus Apoſtolicis, & præſertim in Conſt. Pauli V.

Quantùm ad de novo emergentia ſecundi generis non poteſt ſe ingerere in inquiſitione illorum, aliàs excederet limites ſuæ Commiſſionis, & formam mandati, quod ei prohibetur, ut communiter d.d. quare in caſu debet certi orare ordinarium delegantem, quod emerſerint indicia circà alia delicta ab eo, ſuper quo fuit delegatus; & delegans, vel ipſorum cognitionem ſibi reſervet, vel novam facultatem tribuat delegato ad inquirendum

de

de novo delicto, super quo apparuerint indicia. Ubi verò delegatus novam receperit delegationem super tali delicto aptiùs operabitur, si ad evitandam confusionem processum ab alio separatum incæperit.

Si verò Judex sit ordinarius, vel delegatus ad omnem causam, iste potest inquirere, & procedere de omnibus cujuscumque generis cum sola limitatione quod in cognitione causę non inveniatur aliquod spectans ad aliud forum, ut dictum est suprà. Præscindendo igitur ab hujusmodi casibus iste Judex potest inquirere, & procedere super omnia de novo emergentia, sivè connexa, sivè non, dummodo mereantur cognosci, presertim verò si tangant ejus Jurisdictionem, ejusque executionem; quod valet etiam de delegato ad unam tantùm causam, seù ad aliquod particulare delictum inquirendum, & de eodem procedendum.

FINIS.

2 22

